

1727.

1. Alberti, Michael: Dissertationis in aeg. medica sistens
casum memoria dignum hydropticae lapsu, integro
abdomine, curatae.
2. Alberti, Michael: De venae sectione abortum praeservante
3. Alberti, Michael: De haemorrhoidibus juniorum.
4. Boehmerus, Samuel Fridericus: De variis sacrilegii specie-
bus ex mente juris canonici.
- 5^a et 6^a = Boehmerus, Just. Henning: De statu excommunicationis
civilis ex mente protestantium. 2 Sempl. 1727.
- 6^a et 6^a = Boehmerus, Just. Henning: De legitimacione ex damna-
to continatorum. 2 Sempl. 1727 et 1735.
- 7^a et 6^a = Boehmerus, Just. Henning: De genuina paenitentia eccle-
siastica in istate.
- 8^a, 6^a, c = Boehmerus, Just. Henning: De statu monachorum veteris
virum et novorum antiquis et hodiernis
3 Sempl. 1727, 1735, 1760.
= semel unct. dicitur hunc
Joh.

- [9. Boechnerus, Joan. Simeon Fridericus : De variis sacrolegi-
specibus ex mente juris canonici. ^{entworfener La}
^{mis No 4 identisch!}
- 9^a Christianus, Joh. Frid : Historia legis Sabiniae antiquorum
codicum testimonio emendatis illustrandis passim
distincta.
10. Coschütz, Georgius Daniel : Varietas, (omnium) differentias
. . . publicas . . . eruditorum examini . . . subijciat
11. Coschütz, Georgius Daniel : De leventeria .
12. Hoffmannus, Fridericus : De vesicatoriorum praesentibus
in medicina usu.
13. Hohenstedt, Des. Fridericus : De fictionibus juris in cerebro
jurisconsultorum natis atque eorum interpretatio
eliminandi .
- 14^{a & b} Ludewig, Jan. Petr. de : Differentiae juris Romani
et Germanici in Hagenholzgiata . 25 Junii 1727 et 1739.
15. Phlippus, Von Smet : Fura eminentis Domini, quod
majoritati competet .

Steg
a
sch
quom

m

his

hick


bro

i

+1739

9





XXIV.

14

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA

DE

STATV

1727, 56

EXCOMMUNI-
CATORVM

6

CIVILI

EX

MENTE PROTESTANTIVM

QVAM

INDVLTV FACVLTATIS IVRIDICAE

IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

DN. IVST. HENNING. BÖHNERO

ICto

POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS CONSILIARIO INTIMO

PROFESSORE IVRIS ORDINARIO

PRO LICENTIA

SVMPOS IN VTROQVE IVRE CAPESSENDI HONORES

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

DIE XXXI. IVL. MDCCXXVII.

H. L. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

WOLFFGANG ANDREAS FERBER

CYGNEA-MISNICVS

ADVOC. ELECT. SAX. ET SENATOR CYGNENSIS

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis IOH. CHRIST. GRVNERTI, Academ. Typogr. (to)

Dis. un. vol. 619



VIRIS
PRAENOBILISSIMIS, AMPLIS-
SIMIS, CONSULTISSIMIS
PRUDENTISSIMIS
DOMINIS
CONSULIBVS
SYNDICO
PRAETORIBVS
TOTIQUE
SENATORVM ORDINI
INCLYTAE CIVITATIS
CYGNENSIS
PATRONIS, FAVORIBVS
ET COLLEGIS
DEBITO HONORE ET AMORE PROSEQVENDIS
DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
IN PVBLICVM GRATIAE MENTIS TESTIMONIVM
SACRAM ESSE VOLVIT
WOLFFGANG ANDREAS FERBER





ingularium beneficio-
rum, quæ Senatus
patrius tam iis, a qui-
bus vitam accepi,
quam mihi ab ineun-
te ætate larga manu contulit, non
adeo sum immemor, quin ea pu-
blice prædicandi, gratumque ani-
mum significandi, omnem occasio-
nem lubens arripiam. Quæ cum
iam mihi ad honores Academicos
adspiranti nata fuerit, omnia in
mentem recurrunt, qua nempe
ratione beate defuncto Patri meo
per triginta & quod excurrit, an-
nos

nos, Consulis officio fungi, vnani-
mi Vestrum suffragio licuerit; quo-
nam amore, candidoque adfectu
ipsum, quoad viueret, sitis prose-
quuti, post eius etiam excessum me
filium vnicum, cuius studiis antea
tam stipendii collatione, quam mul-
tis aliis modis consuluitis, Ordini
Vestro vno ore adscripseritis, &
quæ adhuc plurima fauori VE-
STRO & beneuolentiæ a me de-
bentur. Vnica tamen causa, quod
spectabili VESTRO Corpori afflo-
ciari mihi inopinanti obtigerit, in-
star omnium est, meque imprimis
mouet, ut, sepositis aliis quamplu-
rimis, iisque præsertim, quæ scri-
pta Mecænatibus lucri causa, offe-
rentibus solent esse domesticæ, Vo-
bis, PATRONI & COLLEGAE
AESTVMATISSIMI, chartaceo
hoc munusculo aliqua ex parte me
gratum

gratum sistam. Sicut autem DEVM
Opt. Max. supplex veneror, vt tam
Patriæ Civitati, cuius salus & inco-
lunitas VOBIS summa lex est, quam
Curia, VOBISque singulis ad digne
obeunda officia auxilio consilioque
adsit, VOSque vna cum iis, quos
quilibet Vestrum habet coniunctis-
simos charissimosque, diu sospites
& incolumes conseruet; ita pro
oblata Prænobilissimis Nominibus
VESTRIS hac Dissertatione nul-
lam aliam remunerationem expeto,
quam, vt fauore VESTRO & be-
neuolentia, cuius hilce lineis debi-
tum exhibeo testimonium, me mea-
que studia vltius complectamini.
Valet, Dabam Halæ Saxonum d. 31.
Iulii Anno 1727.

DIS-





DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE
STATV
EXCOMMUNICATORVM
CIVILI
EX
MENTE PROTESTANTIVM.

§. I.



EXcitavit in ecclesia Constitutio unigenitus non sine ratione a curia Romana defenditur.
catholica ingentes fluctus constitutio decantata unigenitus
CLEMENTIS XI. anno 1713. publicata; curia Romana tamen, his non obstantibus, de rigore suo nihil remisit, sed condemnationi thesium CI. tenaciter inhaesit. Neque aliter agere potuisse videtur, quod *propositiones* quaedam inter eas reperiantur, quae, licet *vera* sint, verboque diuino conformes, autoritatem tamen vel

A

papa-

2



palem vel episcopalem imminuere, vel infringere videantur, pro qua conservanda etiam veritati ipsi bellum indicendum. Summopere sine dubio offendit curiam Romanam episcoposque dominantes

propositio XC. quæ hæc est: *ecclesia autoritatem excommunicandi habet, & eam exercet per primos pastores, de consensu saltem præsumto totius corporis.* Cum enim laici quoque corporis huius membra sint, per indirectum hi quoque ad concursum huius iuris gladii spiritualis videntur vocati vel admissi, quod tamen reipublicæ ecclesiasticæ, quæ corruptis temporibus nata, intolerabile visum fuit. Aequè paradoxa CLEMENTI XI. visa fuit propositio XCI. *excommunicationis iniustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: nunquam eximus de ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Iesu Christo, atque ipsi ecclesie per caritatem affixi sumus.* Hæc si ferenda esset propositio & defendenda, nervus ecclesiasticæ disciplinæ, gladiusque spiritualis parum roboris ponderisque haberet. Docendum ergo, iniustam etiam eiectionem ligare excommunicatum, omnesque effectus spirituales & civiles in eum producere. Hac de causa etiam damnanda fuit propositio XCII. *paci potius in pace excommunicationem & anathema iniustum, quam prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum.* Ergo secundum CLEMENTEM XI, qui damnavit hanc thesin, veritas potius prodenda, quam ut vigor excommunicationis exarescat aut spernatur. Nec ferenda fuit ex ratione status ecclesiastici propositio XCVII. *nimis sepe contingit, membra illa, quæ magis sancte & magis strictè ecclesie unita sunt, respici atque tractari tanquam*

quod contra
excommuni-
cationem quæ-
dam in thesi-
bus damnatis
contineantur

tanquam indigna, ut sint in ecclesia, vel tanquam ab ea separata. Sed iustus vivit ex fide & non ex opinione hominum. Quid enim? si iudicium sacerdotum in dubium vocare: si statuere liceret, iudicium papale vel episcopale non semper esse iudicium Dei, ingentem iacturam caperet respublica ecclesiastica, ad cuius conseruationem omnes doctrinæ accommodandæ & componendæ sunt, si credendum est Societatis Iesu Theologis, utpote qui constitutionis prædictæ promotores & autores fuere.

§. II. Videlicet sicuti *excommunicationis gladius* curia Romana admodum sollicita pro conseruanda excommunicationis auctoritate *neruus ecclesiasticæ disciplinæ & ad continendos in officio populos valde salutaris esse dicitur in concil. Trident. sess. XXV. de reform. c. 3.* ita postquam ecclesia Romana *statum politicum* induit, nihil magis ipsi curæ cordique fuit, quam ut *excommunicationis terrorem* auget, eique effectus tales, quos quilibet horret, atque quibus terrore panico omnes percelluntur, adscriberet, edictisque suis confirmaret. Cum vero e re omnium sit, inania spectra & terri culamenta, quibus tantum pueri terrentur, denudare, eorumque vanitatem ostendere, constitui, in præsentî dissertatione *statum excommunicatorum civilem* eruere & examinare, non quidem primario ex mente *curiæ Romanæ*, qua *status civilis* omnis denegatur hoc fulmine tactis; sed ex mente *protestantium*, cum etiam hi excommunicationem adhuc agnoscant, licet rarior eius vsus apud eosdem sit. Id vero si præstitero, apparebit, doctrinam protestantium saniorum eo minus recedere a tramite iuris primæui, quo magis *Romanæ ecclesiæ* scita ab eo discesserunt.

vnde e re est, ut status civilis excommunicatorum ex veritate ponderetur

82



*scriptores, qui
curiæ Romanæ
dogmata
in hac doctri-
na defendunt*

§. III. Intelligo autem per *scita ecclesiæ Romanæ* doctrinam publicam, quæ tum in iure canonico potissimum per *decretales pontificum* determinata, tum per *curiæ Romanæ sodales* explicata, ac secundum mentem eius exposita est. Hanc præ ceteris par nobile fratrum, IOSEPHVS GIBALINVS *de sacra iurisdictione in ferendis pœnis & cens. eccl. & IOANNES DE DICASTILLO de censuris & pœnis ecclesiasticis*; ex familia societatis Iesu, tradiderunt, & scholasticorum principia ex assè secuti sunt. Hisce iungendus est IACOBVS EVEILLON in tract. quem inscribit: *traite des excommunications & monitoires avec la maniere de publier, executer & fulminer toutes sortes des monitoires & excommunications*. Auem ex cantu facile cognoscere licet, si modo vel obiter libri rubrum inspiciatur; omnia enim rursus ad mentem Romanæ curiæ in eo sunt adornata, atque composita. Idem quoque præstitit MARIUS ALTERIVS in *disput. de censuris eccl. nempe de excommunic. suspens. & interdito cum explicatione Bullæ cænæ domini*. Quia vero metu *excommunicationis* etiam arcanorum delictorum extorquere possunt reuelationem, & ita hoc *gladio spirituali* etiam intima cordis rimari: non defuerunt quoque, qui speciatim hunc eius vsus ex principiis ecclesiæ Romanæ communibus docuerunt, vt ANTONIVS LAZARIVS in *quest. canon. de monitor. seu excomm. ad effectum reuelandi* & THEOPHILVS RAYNANDVS, societatis Iesu theologus, de *monitoriis ecclesiast. ad extorquendam restitutionem aut reuelationem*. Ab his principiis vulgaribus tamen magnopere recessit LVDOVICVS ELLIES DV PIN de *discipl. eccl. dissert. III. quæ de antiquæ insigendæ*
excom-

*scriptores qui
saniora prin-
cipia habent*

excommunicationis ratione agit, & in quem abufum crassiffimum tractu temporis tracta fuerit, ostendit, indeque sinceriozem eius vsum deducit. Idem quoque præstitit inter Catholicos doctores PAVLVS SARPVS in tractatu italico idiomate tempore PAVLI V., senatum Venetum excommunicantis & rempublicam ipsam interdicto percutientis, conscripto sub titulo: consolazione della mente, quem potiffimum pro immunitate regum principumque contra curie Romanæ fulmina confecit, & ea occasione in multis propius ad veritatem accessit. Diu hætenus hic libellus in tenebris iacuit, in solatium reipublicæ prædictæ priuatim duntaxat compositus, lucemque demum ante paucos annos cum versione gallica aspexit. Acta & scripta, quæ controuersias inter PAVLVM V. & Venetos ac excommunicationis fata continent, coniunctim edita sunt sub tit: controuersie memorabiles inter Paulum V. pontificem max. & Venetos.

§. IV. Inter protestantes, quibus reformatos ^{scriptores} *Protestantes* quoque hic annuero, quidam plura adhuc traxerunt ex communibus iuris canonici doctrinis, quidam rectora secuti sunt. Illis annuero IO. FECHTIVM de *excommunicatione eccles.* ad solidiora rarius excurrentem. Plura atro carbone notata sunt in *bibliotheca noua* hic edita *part. XXI.* quæ a prædicto autore nouum opusculum extorferunt germanice conscriptum: *Kurze Nachricht von dem Kirchenbann, dessen göttlicher Einsetzung und Christlicher Billigkeit*, in quo principia sua colore nouo incrustare studuit, vti P. XXIX. *dictæ bibliothecæ* ostensum est. Solidiora tradidit SAMVEL BASNAGE duplici dissertatione, quarum prima de *excommunicatione*

catione iudaica; altera de excommunicatione Christiana agit. vid. tom. II. annal. eccles. p. 478. sqq. Quæ ad antiquitates iudaicas pertinent, simulque praxin christianorum primæuam illustrent, sedulo & cum insigni eruditione excussit IOANNES SELDENVS de *synedriis veter. Ebræor. lib. I. c. 7. sqq.* in quo admodum inclinatur in eorum sententiam, qui non tam ex iure clauium, quam ex confæderata christianorum disciplina natales eius deduxerunt. Antiquitates Iudaicas præterea singulari cura & industria illustravit IO. MORINVS de *administr. sacram. pœnit. lib. IV. c. 23. seqq.* & passim quoque hanc doctrinam, quatenus inter Christianos vsus habet, a fecibus scholasticorum purgavit. Præ ceteris vero commendari meretur DN. IO. GEORGI PERTSCHII tract. *von Recht des Kirchbanns*, in quo originem, progressum, vsus & abusum excommunicationis tradidit, & imprimis *statum excommunicationis ciuilem* paulo accuratius constituit, aliaque tradidit, quæ hanc doctrinam ab erroribus vulgaribus vindicant. Denique vsus eius omnem prorsus damnauit inter Christianos THOMAS ERASTVS medicus in *explicatione grauissimæ questionis: verum excommunicatio, quatenus religionem intelligentes & amplexantes a sacramentorum vsu propter admissum facinus arceat, mandato diuino nitatur, an excogitata sit ab hominibus?* Dum abusus huius remedii notare voluit, in alterum extremum incidit, ceu vt plurimum fieri solet.

*Status ciuilis
excommunicatorum
ex natura eiectionis
astimanda*

§. V. Quemadmodum vero prælaudati autores hanc doctrinam in vniuersum tradiderunt & explicauerunt; ita facile ab eius pleniori excussione abstinere, & interim suppono, dari in ecclesiis protestantium

CIVILI EX MENTE PROTESTANTIVM. 7

stantium *excommunicationem*, legibus ad minimum ecclesiasticis determinatam & stabilitam. Interim tamen de *statu excommunicatorum civili* nihil certi constituere licet, nisi simul ratio eius paucis explicetur, & communis iuris canonici doctrina tradatur, vt intelligatur, qua occasione factum sit, vt etiam *ciuiles effectus* pedetentim induerit. Intelligo autem per *statum civilem* non primario tres illos decantatos *status libertatis, ciuitatis, familieque*, qui per excellentiam hac appellatione gaudent; sed potius omnem conditionem & qualitatem, quam quilibet subditus ex iure publico & civili priuato habet, vnde peculiaria iura ciuilia sibi asserere potest. Huc ergo referri debet conditio, quam quis obtinet ratione *existimationis, ciuilis commercii, officiorum publicorum, fori*, ceterorum, ita, vt status controuersie primario huc collineet: *utrum excommunicatione maiori ligatus priuandus sit usu iurium publicorum & priuatorum, ita vt tanquam putridum membrum rei publicae considerari, eique in negotiis quibuscunque civilibus haec nota obiici possit?* De maiori hic vnice loquor; minori enim non adeo *ciuiles* tribuunt effectus, nisi quod *canonica infamia* laborare dicatur excommunicatus, seu a *sacramentorum usu* exclusu, quæ in hoc consistit, quod male audiat apud clericos, quorum iudicia facile sequuntur plerique laicorum.

quid per statum civilem intelligi debeat?

status controuersie.

§. VI. Sed ad ipsam rem. Obseruatum iam est in diff. DN. PRAES. de genuina indole pœnar. eccles. §. 28. seqq. in primitiua ecclesia disciplinam quandam fuisse necessariam, eamque, sine alio quodam fundamento, tum ex *statu singulari*, in quem ob persecutiones gentium

Necessitas discipline in primitiua ecclesia.

88



lium Christiani coniecti erant, tum ex natura *collegiorum* deduci potuisse & deductam fuisse. Necessitatem *disciplinae* alicuius agnouit CLERICVS in *hystor. eccles. duor. primorum secul. p. 804. §. 4.* aiens: *Necessaria erat ecclesis christianis ea disciplina, qua iis grauiorum delictorum vel errorum rei euiciebantur, duplici de ratione. Prior fuit, vt homines emendati, eo ecclesiarum iudicio, ad castigatiues mores, aut saniozem doctrinam redirent, si qua iis superesset amoris, probitatis aut veritatis scintilla; neue alii eorum exemplo delinquerent aut errarent, vnde sequeretur eterna salutis iactura. Altera ratio erat, ne ob prauitatem morum aut opinionum infamaretur apud ethnicos ecclesia christiana; facile enim fieri potuisset, vt propter propudiosos quorundam errores aut flagitiosam vitam male audiret tota ecclesia christiana. Quae in compendio Da. CLERICVS retulit, fusius explicata sunt a Da. PRAES. *diff. III. ad Plin. II. & Tertull. §. 2.* ex ipsis antiquitatibus, quae ostendunt, hac disciplina obturandum fuisse os obtractatoribus gentilibus, & ecclesiam a malis hominibus purgandam, quod ea tunc esset ratio ecclesiarum, praesidio reipublicae omni destitutarum, vt saluae & incolumes esse non possent, facinorosis quibuslibet toleratis. Accedebat zelus singularis pro cultura pietatis, qui commercium cum facinorosis non admittebat, ut eos a se dimouerent, & iure suo ab omni commercio sacro excluderent. Hunc vt obtinerent finem, muta confederatione & vnione duo inter se constituerunt: primum erat, *ne quis reciperetur in ecclesiam per baptismum, nisi eiuratis facinoribus, qua formula adhuc hodie vtimur in baptismo infan-* tum.*

Inde nemo nisi eiuratis facinoribus receptus.

tum. Solenniter ergo in conspectu ecclesiæ fidem dabant catechumeni de fugiendis criminibus, vnde sua sponte sequebatur, vt, qui his postea sese maculabat, iure accepto priuari & a fraternitatis iure excludi posset & deberet. Alterum erat, *ne ab vna ecclesia eiectus ab alia reciperetur*, quo vnio inter omnes particulares cœtus conseruaretur, nec integrum esset ecclesiæ maioris in communione autoritatis, minorum ecclesiarum acta rescindere, aut facta suum reuocare examen.

§. VII. Ita vero magnopere differebat a *iudaica excommunicatione*, vt vix probabile sit, christianorum eiectionem inde traxisse originem, quod tamen cum pluribus aliis asserere atque adstruere videtur SELDENVS *de synedr. lib. 1. c. 9.* Negari nequit, christianos a iudæis legitimam propaginem habere, vt passim patres loquuntur, indeque non mirandum, si *instituta iudaica* in synagogis inter Christianos quoque retenta fuerunt. Neque illud negari potest, aliquam fuisse conuenientiam inter excommunicationem *iudaicam & christianam*, quam summam sistit exhibetque CAMPEGIVS VITRINGA *de synag. veter. lib. III. P. 1. c. 9. p. 739.* Denique nec illud nego, postquam excommunicatio semel inter Christianos est recepta, eam paulatim ad mores & instituta iudaica fuisse transformata, & ad eius rationes compositam, quod potissimum ostendunt argumenta a VITRINGA *cit. l.* SELDENO & MORINO *lib. IV. de pœnit. administr. c. 23.* allata, indigitantque, *seculis III. & IV.* usum *excommunicationis christianorum* a prisca simplicitate iam descuiisse, & *pœnarum ciuiliū* naturam accepisse, more iudaicæ excommunicationis, ut infra

B

dicam.

*vnde secuta est
eiectio sua
sponte*

*ab vna eccle-
sia eiectus ab
altera non re-
cipiendus*

*hec eiectio
differebat ab
excommuni-
catione iudaica*

SB



quod specia-
rim ostenditur

dicam. Videlicet apud Iudæos erat *pæna mere civilis. capitis diminutionis species*, & nota grauioris cuiusdam *infamiae*, non vero sacrorum *commercium* tollebat, vt vel ipsius Salutatoris, discipulorumque eius exemplo constat, qui ex synagogis non eiekti, aut a sacris, quæ publici iuris erant, remoti fuerunt, licet dubium nemini esse possit, eos inter excommunicatos iudaico more relatos fuisse. *Ioh. XII, 42.* Præterea apud Iudæos quilibet etiam e vulgo rite excommunicabat, quod tamen ad Christianorum disciplinam applicari non poterat, vt ipse SELDENVS *cit. c. 9.* testatur.

Si ex moribus
iudaicis deri-
vanda, non
potest ex Chri-
sti doctrina
descendere

quod Christus
ciuiles pœnas
non introdu-
xerit.

§. VIII. Concedamus tamen paulisper, excommunicationem a christianis ex *moribus iudaicis* tractam fuisse; admitti sane eo casu nequit, illam a Christi præcepto, instituto, & doctrina deriuari posse, quod tamen VITRINGA *cit. l. p. 737.* adstruere videtur. Neque enim probabile est, nec Christi officio conforme erat, vt *pœnas ciuiles & infamiae notas* aut *capitis diminutionem* inter suos introduceret, de eorum vsu leges ferret, & ita, quod volunt Romanæ ecclesiæ doctores, iudicia quædam ecclesiastica erigeret. Neque hunc in finem in mundum venerat, vt iudicaret *more forensi* improbos, sed vt eos saluaret, & in viam salutis deduceret. Longe diuersum scopum habuerunt eius præcepta, quæ non *pœnis forensibus* aut *ciuilibus* inculcanda, sed per doctrinam ab apostolis proponenda erant, iuxta commissionem apostolis datam: *ite & docete omnes gentes.* Non addidit vero Saluator, *si vos audire nolunt, excommunicate eos more forensi infamiaeque eos notate*, qua potestate nunquam inter suos uti uoluit. Noverat, regnum suum non esse de hoc mundo, ideoque sollicitè præcauebat, ne *im-*
perii

perii alicuius vmbra aut speciem sibi arrogarent apostoli. Id tamen revera intendere hi videntur, qui excommunicationis fulcra tum in *doctrina Christi*, tum in *institutiis iudaicis* simul quærun.

§. IX. Videlicet primis ecclesiæ temporibus *Simplicior* excommunicationis vsus simplicissimus erat, & in vna *excommuni-* tantum specie subsistebat. Excludebatur excommu- *cationis vsus* nicatus ab omni sacrorum commercio, & imprimis *in primitiis* ab Agapis & eucharistia, communiumque precum *ecclesia* commercio, vt TERTULLIANVS in *apol. c. 39.* ait. Vnde his appellationibus denotata fuit. *arceri & eiici ab ecclesia*, aut a *fraternitatis communione & iure relegari*, *submoueri a limine & tecto omni ecclesie*, *sacramento benedictionis exauctorari*, *communione interdici*, *abscindi*, *depelli*. His loquendi formulis a SELDENO *cit. l. c. 9.* collectis, iodigitatum fuit, eiectionem ab ecclesia, *communio-* ne externa ecclesie, & inde dependentium iurium pri- *separabat* uatos fuisse, alios vero effectus nec habuisse, nec ex intentione Christianorum habere debuisse, qui vnice purgare ecclesias a facinorosis hominibus intendebant, *pœnas* autem *ciuiles* introducere aut exercere haud cogitabant. Id certum est, inculcatum fuisse ab Apostolis sedulo, vt fideles deuitarent improbos, nec familiarius cum iis viverent. *Rom. XVI, 17. 2 Theff. III, 6. 14. 15. Eph. V, 11. ad Tit. III, 10.* Hoc etiam recta ratio indicat, iubetque, ne quis societatem cum pessimis ineat; iuxta vulgatum illud: *noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.* Inde vero nec excommunicatio iudaica forensis colligi, nec tuto inferri potest, eiectionem a cœtu fidelium a PAVLO christianis mandatum præceptamque fuisse, quamuis his monitis excitati ex *necessitate status ecclesiarum* tandem discipli- *nam*

non commer-
cium ciuile
sollebat.

nam quandam inter se introduxerint Christiani, con-
federatione mutua, vti supra dictum. Hæc tamen eie-
ctio commercium ciuile cum eiectis non tollebat,
quod Iudaicæ excommunicationis proprium erat, sed
id tantum operabatur, ne extra ecclesiam familia-
rius cum eiectis agerent, & imprimis hæreticorum
societatem euitarent, ne eorum doctrina inficeren-
tur, quod æquum & rationi conforme erat.

Posterius illu-
stratur testi-
monio Io. Mo-
rini

§. X. Atque hoc ipsum testimoniis Doctorum
Romanæ ecclesiæ saniorum illustrare atque confir-
mare iuuabit. Primum peto ex doctrina IOANNIS MO-
RINI de administrat. sacram. pœnit. lib. IV. c. 2. §. 7. aien-
tis: Notandum obiter, tum temporis commercium civile cum
eiectis ab ecclesia non fuisse fidelibus interdictum. Hoc enim
diserte sancitur c. 40. (intelligit constit. apost. Clement. lib.
2. c. 40.) cum iis igitur, quos propter peccata excommunica-
tis, habete res, congressus, & conuictum, curantes, conso-
lantes, fulciantes, illudque dicentes: inualefcite remissæ ma-
nus &c. Id est apud antiquos illos vulgarissimum, vt docet
lapsorum historia apud S. Cyprianum, qui licet ad ecclesiam
non admitterentur, martyres tamen ambibant, literas com-
municationis ab iis impetrabant, quosuis fideles, vt pro ipsi-
s intercederent, exorabant adusque ecclesiæ limina cum iis mi-
scebantur. Imo tum temporis ni hoc fecissent, sese ad eccl-
siæ limina, cum sani erant, repræsentarent, illis egrotis
tumque pœnitentiam petentibus reconciliatio denegabatur.
Illa omnis commercii ciuilitis & ecclesiastici prohibitio specta-
bat saltem hæresarchas, & quosdam hæreticos, quibus præ-
cipua cura erat fidelium subuersio. Id paucis verbis Terul-
lianus more solito considerate loquens nos docet apolog. c. 39.
Explicat. quæ in christianorum synaxi fieri solent: ibidem
sequuntur verba Tertulliani) etiam exhortationes, casti-
gatio-

gationes & censura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri iudicii præiudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis & conuentus, & omnis sancti commercii relegatur. Post hæc SEPTIMI verba sequentia adiungit MORINVS: Maxima igitur ecclesiæ censura, quæ peccatis magis (magnis forsan) infligebatur, erat ab omni sancto commercio non ciuili relegatio. At inter ciuilia commercia scripturarum & sermonum auditio consuebatur, tantum abest, ut pœnitentiæ loco imponeretur.

§. XI. Alterum testimonium veritatis occurrit apud DVPINIVM in *tr. de discipl. eccl. diss. III. c. 3.* Dupinii testimonium. MOX in principio, vbi ita edisserit: Ex dictis, ni fallor, iam intelligitur excommunicationis mortalis hunc esse effectum primarium ac præcipuum, ut aliquis ex albo Christianorum expungatur, & synaxi, Eucharistia, precibus communibus, ac cæteris officiis, quibus societas & communitio Christianorum coheret, indignus esse pronuncietur: id enim significant verba Christi: sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Hoc est, iam non habeatur, ut frater & Christianus, sed quemadmodum ethnicus & publicanus. Sicut ergo societas ciuilis seruatur cum ethnicis & publicanis, ita per excommunicationem non excluduntur homines a societate ciuili, nec iis priuantur officiis, adiumentis & bonis, quæ ipsis tanquam hominibus & ciuibus iure naturali, gentium & ciuili debentur. Itaque primus ac præcipuus effectus, imo, si stricte ac proprie loqui velimus, vnicus excommunicationis effectus est priuatio officiorum spiritualium, non eorum, quæ iure naturali, gentium aut ciuili debentur, cuiusmodi est coniugum habitatio, parentum in liberos, liberorum in parentes, consanguineorum inter se, ac Regum in subditos, & subditorum in Reges officia necessaria.

An libera offi-
cia ciuilia cie-
tis denegata?

§. XII. Vterius quidem progreditur DUPINIUS, putatque, libera commercia & officia ciuilia fuisse excommunicatis denegata a temporibus Apostolorum, idque hoc modo probare intendit: *Quod vero spectat ad libera, vt amicitie, mutui conuictus, & alia eiusmodi, hæc, licet non videantur iure diuino prohibita esse, ab ipsis tamen Apostolorum temporibus in usu fuit, hæc excommunicatis denegare, constat ex beato Paulo multis in locis, 1 Cor. 5. Scripsi vobis in epistola, vt non commisceamini fornicariis, non utique fornicariis huius mundi, aut auaribus, aut rapacibus, &c. Nunc autem scripsi vobis, non commisceri, si is, qui frater nuncupatur, est fornicator, aut immundus, &c. cum eiusmodi nec cibum sumere. Quibus verbis Paulus prohibet, ne libera officia mutui conuictus, quæ ipsi ethnicis impendi poterant, fratribus excommunicatis impendantur. Idem probatur ex 2 Thess. 3. Denunciamus vobis, vt subtrahatis vos ab omni fratre inambulante inordinare. In Epist. ad Titum. Hereticam hominem post vnâ aut alteram correptionem deuota. Quod clarius habet Ioannes: Nolite recipere eum in domum, ne aue ei dixeritis; qui enim dicit illi aue, communicat eius operibus malignis. Certe hæc, non consuescere cum aliquo, in domum suam eum minime recipere, ne quidem aue dicere, sunt officia ciuilia, quæ denegantur excommunicatis, sed vt iam dixi libera, quæ nec iure naturali, nec iure ciuili, nec iure gentium necessario debentur. Nam quæ necessario sunt, non ita possunt excommunicatis denegari, imo debent impendi. Sic enim Paulus iubet principibus licet infidelibus obediri, uemque vetat, ne mulier fidelis virum infidelem relinquat; iubet seruis fidelibus, vt obediant dominis suis, quia hæc officia sunt necessaria. Enimuero 1) hætenus nondum probatum est, in his locis occurrere, aut ab apostolo man-*

Quod contra
Dupinium ue-
gatur

mandatam esse eam *excommunicationem*, quæ paulo post a Christianis recepta, & in vsum deducta est, cum loca adducta ostendant, commercium familiare, quod potissimum ex conuictu cognoscitur; facinorosorum euitandum esse, quod euitandum erat etiam extra *excommunicationem*. 2) PAVLVS ipsemet 2 *Tessal. III, 14.* & 15. hæc notatu digna dicit: *nolite quasi inimicum existimare, sed corripite eum vt fratrem*, quod absque commercio libero civili fieri non poterat. 3) Ipse MORINVS iam ostendit contrarium, docuitque, eiectos a commercio libero civili minime exclusos, sed id tantum fidelibus iniunctum fuisse, vt a societate omni hæreticorum sese temperarent. 4) Pro salute eiectorum maxime solliciti erant episcopi, martyres, imo quilibet fidelium, & pro eo reducendo laborabant. Quis vero sine officio libero civili hanc curam & sollicitudinem sibi concipere potest? 5) Qui reuerti volebat ad ecclesiam, hunc merito vt *hostem ecclesie* vitabant quouis modo, quatenus fieri poterat, non item eum, cuius reditum ad ecclesiam sperabant, vt ut adhuc exclusus esset. Denique 6) si in locis adductis *excommunicationis* sedes adest, singulis quoque, more Iudaico, illa permessa erit, nec ex *iure clauium*, quod tamen inculcant, petenda. Enimuero in primitiua ecclesia non *singulorum* erat, eiicere aliquem & excludere a cœtu fidelium: quin potius hoc negotium ecclesie, qua tali, relictum erat, episcopo in cognitione super exclusione eiiciendorum tantum præsidatum gerente. *Absentio* quidem singulis permessa est, quæ tamen *excommunicationis* effectus non habebat, atque hæc tantum in locis adductis continetur,

§. XIII. Tertium veritatis testimonium perhibet

CLAV-
Fleurii testi-
monium veri-
tatis.

82

CLAVDIVS FLEVRIVS P. III. *instit. iur. eccl. c. 20. §. 2. vbi præmittit, per gradus cum facinoroso actum, eumque tandem vt putridum membrum a corpore ecclesiæ abscissum fuisse. Sin malum, ait, omnia membra corripuisse, nec medendi spem superesse videbant, adhibito episcoporum & longo vsu subactorum presbyterorum consilio, re exquisite pensitata, immedicabile membrum, ne partes sinceræ inficerentur, ressecarunt, dolentes tamen & lachrymantibus, vniceque dicto Pauli: auferte malum e vobismetipsis, I Cor. V. 13. obtemperantes. Excommunicatus habebatur vt infidelis, & Christiani nullum cum eo commercium, præsertim in precibus habuere. Poterat quidem venire in ecclesiam, & scripturam prælectam concionesque audire, quod ipsi infidelibus non negabatur; sed idem cum infidelibus a mysteriis diuinis remouebatur, vt desiderium orandi cum fidelibus in eo excitaretur, & ceteri eius exemplo terrentur. Interim episcopus eum non neglexit, si vel maxime altera vice lapsus esset. Non abhorruit ab eius consortio, non a conuictu: memor, Christum manducasse cum Phariseis & peccatoribus. Consolabatur, exhortabatur, ne animum desponderet. Respicientem & pœnitentia dignos fructus ostendentem gaudio perfusus recipit, tanquam filium perditum, ac manuum impositione cum ecclesia reconciliauit, precumque & sacramentorum fecit participem. Hoc modo vestigia premebant IOANNIS apostoli, qui, teste EVSEBIO lib. III. *hist. eccl. c. 23. iuuenem, institutis suis educatum, sed paulo post in societatem latronum prolapsum, adeoque ecclesiæ desertorem hostemque, omni cura & sollicitudine ab erroris tramite reducere studuit, anxie eundem quæsiuit, nec destitit, donec tandem quoque ipsum in ecclesiam reduxerit, vt plenius EVSEBIVS refert enarratque. Saluator ipsemet cum peccato-**

catoribus conuictu commercioque civili vsus est, liberaque officia, vt ea vocat DVPINIVS, illis exhibuit, vt eos in rectam reduceret viam. Vnde imputatio decantata *Luc. XV, 2. hic peccatores recipit & manducat cum illis, cum causa finalis tale commercium cum improbis iustificet & improbet, ad quam vnice respiciendum est.*

§. XIV. Veritatem huius rei etiam agnouisse, sed simul dissimulasse videtur ESPENIVS, ne crabrones irritaret. Obseruauit, communi sententia trahi excommunicationem ex *Matth XVIII, 15. 16. 17.* ibique processum eius determinari, quo posita illa hunc effectum habere nequit, vt ex Christi doctrina excommunicatus ab omnibus quoad civile commercium euitetur. Dicit quis, ait *P. II. iur. eccl. tit. II. c. 4. §. 10. si excommunicatus non sit vitandus, nisi vt ethnicus & publicanus, non videtur excommunicatus excludendus a communi fidelium conuersatione, aut civili commercio: nam nec ethnicus, nec publicanus ab his excludendi sunt, nec vetuit Christus fidelibus communicare in his cum ethnicis & publicanis.* Admittit hoc dubium, aitque: *Verum est, attendenda sola Christi verba, quibus auctoritatem excommunicandi expressit, non videntur excommunicato ea neganda, quæ ethnicis & publicanis permittuntur: cum Christus solum dicat, ecclesiam non audientem habendum esse vt ethnicum & publicanum; quibus verbis indigitat, hunc effectum excommunicationi non ex iure diuino, sed humano duntaxat attributum fuisse, quod etiam confirmat GERSON tom. I. p. 791. Putat tamen ESPENIVS, Apostolos eorumque successores, vt fideles a contagio vitiorum & errorum cautius preseruarentur, hoc instituisse atque voluisse, vt a familiari & civili communicatione excommunicatorum abstineretur, iuxta illud *Ioh. epist. II. Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam non ad-**

Esperii sententia titubans.

C

fert,

82

fert, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeris: quatenus dicitur ei aue, communicat operibus eius malignis. De priuata abstinentia, singulis commendata, loquitur Apostolum, nec eum legem scripsisse, aut iura excommunicationis determinasse, adeo euidentis est, ut mirandum sit, acutissimum ESPENIVM ius quoddam nouum & humanum inde exsculpere voluisse, quod alioquin singulis permittum esse debuerit, excommunicare errantem & paradoxa dogmata proferentem. Sicuti Saluator fugam falsorum prophetarum commendat atque inculcat, suosque dehortatur, ne pharisæorum hypocritarum inficerentur; ita IOANNES idem præstat officium, & fugam malorum Doctorem commendat, quæ etiam singulis commendata esse debet autem omnem excommunicationem. Absolute tamen commercium civile non prohibet, sed a salutatione amica & intimiori tantum dehortatur fideles. Optime interpretes Galli Dni L' ENFENT & BAUSAVERE ad hunc locum: Les salutations des premiers Chrétiens n' étoient pas, comme celles d' aujourd'hui, qui ne sont que de vains compliments. C' étoient des marques réelles d' amitié & de communion, que l' on ne doit pas avoir avec un ennemi déclaré de Iesus Christ & un faux frère connu pour tel; quoique d' ailleurs il faille s' acquiescer envers lui de devoirs de la charité Chrétienne & de l' honnêteté civile. Undeliquet, nec iurè diuino, nec humano hunc effectum excommunicationi datum esse, non illo, quod agnoscit ESPENIVS: non etiam hoc, quia Apostolorum munus non fuit, leges & iura ecclesiastica præscribere, aut singulis potestatem dare excommunicandi hæreticos, sicuti verba adducta id non euincunt, quod ex illis exsculpere intendit ESPENIVS.

§. XIV.

§. XIV. GABRIEL ALBASPINAEVUS *de veter. eccl.* Albaspinaei doctrina longius a veritate recedens.
riibus lib. I. obs. 1. longius a veritate recedit, & quæ seculo IV. & V. obtinuerunt, ad primitivæ ecclesiæ tempora transfert, in quo sæpius peccari solet. Ait: *Ut ius illud situm erat, inrerum omnium humanarum & diuinarum participatu & societate, ita excommunicatorum (ex quorum cognitione, quid sit communicare, & communicatio, constabit liquidius) diuersa omnino erat conditio. Non solum a sacris arcebantur, sed etiam omnes eos aspernabantur, omnes abhorrebant, omnes eos, ut putre membrum & refecandum fugiebant, cum iis rationem inire, aut rem ullam contrahere, nefas erat, nemo eos saluatione, nemo fratris appellatione, nemo aspectu, nemo alloquio, nemo conuivio eos dignos iudicabat, tanta seueritate, ut ne Deo quidem preces cum eis adhibere liceret. Canones conciliorum, quos hunc in finem allegat, sunt IV. & V. seculi documenta, ad quæ etiam referri debent canones Apostolici, ut eruditi non diffitentur. Enimuero non quærimus, quid hoc tempore iam per concilia nouiter constitutum, sed quæ purioris ecclesiæ disciplina fuerit, quam ALBASPINAEVUS non explicat.*

§. XV. Id vero interim manifestum est, *statum civilem* Status civilis excommunicatorum per tria priora secula mutari non potuit. eiectionum in tribus prioribus seculis nec deliquium passum fuisse, nec vilo modo mutari potuisse. Si enim vel maxime Christiani excommunicatum euitassent, & cum eo *libera officia* miscere recusassent, (quippe quæ singulorum arbitrio subiecta sunt) *status civilis* eiectionum tamen in Republica manere debuit saluus atque incolumis. Imperium summum eo tempore adhuc in manibus gentilium erat; ab huius determinatione vnice dependebat, quis integrum statum civilem retinere, quis vero ob delictum eo priuari debuerit. Christianis

82



eo tempore fas non fuit de *iure publico* leges ferre, aut *iura publica* immutare, & ad suam disciplinam trahere; a quo dominatu etiam abhorruerunt, qui sane inanis fuisset, si papale ingenium episcopi affectassent. Qui asserunt, iis non *voluntatem*, sed *occasionem* tantum defuisse, statum civilem excommunicatorum immutandi; episcoporum mores ex presenti genio æstimant, eosque nobis repræsentant, non quales reuera fuerint, sed quomodo ex principiis curiæ Romanæ esse debuerint.

*Nec excommunicatio
sollebat præcise unionem
cum Deo.*

§. XVI. Quemadmodum ergo excommunicatio eiectionem vnice *vsu commercii sacrorum* priuabat, vt optime MORINVS supra laudatus obseruauit, & EX TERTVLLIANO illustrauit, adeoque duntaxat *communione externam* cum ecclesia soluebat, saluo vinculo civili; ita haud creditum fuit, exclusum a cœtu fidelium semper quoque exclusum esse ab vnione cum Deo, vt optime obseruat BASNAGE *cit. diff. de excommun. Christian. §. 13.* Quandoque enim mœchis, homicidis & idolatris in perpetuum pax denegata, eisque omnis spes adempta fuit, priorem locum in ecclesia recuperandi, quibus tamen spes salutis in ducium vocata non est, quod illustrat ALBASPINAEVVS *cit. tr. lib. 2. obs. 17.* & ex *concil. Eliberino* infra illustrabitur. Neque enim eo tempore, quo hæc disciplina in quibusdam ecclesiis recepta erat, ex iure *ligandi & soluendi* excommunicatio petebatur, id quod si factum fuisset, ecclesiæ seueriores tyrannidem magis, quam disciplinam exercuissent, in perpetuum ligando eos, quos eiecerant ob crimina grauiora, & quos in perpetuum ligari apud Deum, iuste existimare debuerunt ex doctrina Christi. Deinde

inde quoque illud inde manifestum est, etiam in hoc eiectionem hanc a *iudeorum moribus* admodum declinasse, qui excommunicatos plerumque absoluebant, si ad saniolem mentem redierant, eosque restituebant in integrum. Fuit ergo arbitraria hæc disciplina legibus vniuersalibus non adstricta, vti CYPRIANVS passim fatetur.

§. XVII. Sed non diu stetit excommunicatio ^{pedetentim noua assumpti iura} in *simplici exclusionem externam a cœtu ecclesiastico & commercio sacrorum*, a toto cœtu peragenda: pedetentim noua assumpti principia, ex quibus noua augmenta cepit, & paulatim admodum transformata est. Hæc noua principia ad duo reuoco, quorum ^{& principia} primum est, quod excommunicatio ex quodam imperio sacro, in potestate soluendi & ligandi, vel iure clauium fundato, tracta, & hoc modo iure magistratus ecclesiastici exerceri cœperit. Alterum vero, quod mox ad disciplinam iudaicam accommodata, & conciliorum decretis penitus cum ea exæquata fuerit, quo ipso ciuiles accepit effectus, & in penam ciuilem, qualis erat excommunicatio iudaica, degenerauit.

§. XVIII. Primum principium seculo III. invaluiffe, & sub CYPRIANI episcopatu iam altas radices egisse videtur, quod ante eum occulte tantum serpebat. Seditiones variæ, & interni motus contra eum excitati ansam CYPRIANO dederunt, vt vigorem episcopalis potestatis plus iusto eueheret, & CORNELIO quoque, in similes turbas deiecto, autor esset, vt maiestatem imperii sacri contra seditiosos & repugnantes tueretur. In epist. IV. edit. Brem. p. 9. episcopalem potestatem ex iure sacerdotali mosaico repetit, & argumentum a pari ita format: *Interfici*

ex iure gladii
spiritualis

Deus iussit, sacerdotibus suis non obtemperantes, iudicibus a se ad tempus constitutis non obtemperantes; sed tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumcisio carnalis manebat; nunc autem, quia circumcisio spiritualis esse apud fideles seruos Dei cœpit, spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de ecclesia eiiciuntur. Neque enim viuere foris possunt, cum domus Dei vna sit, & nemo saluus esse, nisi in ecclesia possit. Attribuit his verbis episcopis 1) magistratum quendam, qualem summi sacerdotes cum imperio apud iudæos gesserunt: 2) ius gladii spiritualis, quem in excommunicatione ponit, & in ea primarias partes episcopis assignat; 3) ius interficiendi immorigeros spiritualiter, dum excommunicationi iacturam salutis æternæ adscribit, & salutem ad vnionem cum externa ecclesia adstringit. Præterea vero epist. 3. & 59. alibique passim ius summi sacerdotii episcopatu cohærens, inculcat, eique adhuc ius clauium adiungit in epist. 33. p. 66. Dominus noster, cuius præcepta metuere & obseruare debemus, episcopi honorem & ecclesie suæ rationem disponens in euangelio loquitur, & dicit Petro: ego tibi dico, quia tu es Petrus, & supra istam petram edificabo ecclesiam meam, & porte inferorum non vincunt eam, & tibi dabo clauis regni cælorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Vnde liquet, CYPRIANVM episcopale imperium in ligandi & soluendi potestate iam collocasse, nouisque his fulcris excommunicationem muniuisse, quod ipse agnoscit SELDENVS de synedr. lib. I. c. 9. aiens: ius autem eiusmodi potestatis singularis ab illis (episcopis presbyterisque) ita nec aliis

obseruante etiam
Seldeno

exer-

exercendæ ex utroque fœdere a scriptoribus cœuis eisque percelebris iam peti cœpit. E fœdere veteri huc adductum est, quod e Deuteronomii verbis, de iudiciis capitalibus, in gladium spiritualement iam conuersum in Cypriano paulo ante memoratur. Gladium sic iam dictum spiritualement in corporalis, seu, ut postea vocatus est, temporalis locum iure successisse, iam voluere in Christianis aliqui - - Enouo autem fœdere præter obuia ex epistolis canonicis testimonia huc trahi solita illud ex euangelio de clauibus regni cœlorum Petro datis, ut &, tanquam ethnicum & publicanum habendum fratrem, qui peccasset, nec rite commonitus ecclesiam audisset, potestas item ligandi & soluendi Petro Apostolisque reliquis concessa, velut iuris huius fundamenta iam offerebantur. Fundamenta hæc paulo post vocat noua principia, quæ ad excommunicationis christianæ ius firmandum a viris tunc aliquot magnis adsumi cœperunt, ostenditque, nec in clauibus, nec in potestate ligandi soluendique ius excommunicationis quæri debuisse, de quo magna etiam cum eruditione disquirat Cancellarius Academiae Tubingensis meritisimus Dn. PFAFFIVS in orig. iur. eccles. p. 13. sqq.

§. XIX. Interim iam TERTVLLIANI æuo novum hoc dogma auditum fuisse, ipsemet docet de pudicit. c. 21. insimulque hoc reprobatur in ZEPHENINO, episcopo Romano, qui publice declarauerat, se adulteris quoque post pœnitentiam veniam daturum esse. Persuasum habeo, hoc fundamento vsu esse Romanam ecclesiam, veniam mœchis reuersis dandam esse, existimantem, quod ius absoluendi in iure clauium datum sit in genere episcopis & ecclesiæ. Ait enim SEPTIMIUS: de tua nunc sententia quero, unde hoc ius ecclesiæ usurpes? Si, quia dixerat Petro Dominus: super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, tibi dedi clauis regni cœlestis: vel quæcunque alligaveris

*Tertullianus
tempore iam
quodammodo
ad ius ligandi
prouocatum*

veris vel solueris in terra, erunt alligata, vel soluta in cælis, idcirco presumis, & ad te deriuasse soluendi & alligandi potestatem, i. e. ad omnem ecclesiam Petri propinquam. Qualis es euertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem &c. Videlicet varia tunc erat ecclesiarum disciplina: quædam adulteris veniam dabant, vt ecclesiæ Africanæ & Montanistæ. Romana ecclesia vsu suum sine dubio legitimabat ex adductis locis, & argumentis a TERTVLLIANO reprobatis. Sed, quod incidenter obseruo, non videntur eo tempore ius *excommunicandi* in locis adductis quæsiuisse, qui eis utebantur. Illud aliunde illis competebat, nec a TERTVLLIANO impugnabatur, quin potius quæcunque eius scripta testatum faciunt, illum hoc ius ecclesiæ strenue vindicasse. Ergo de hoc iure non erat quæstio, nec pro eo legitimando necesse erat, recurrere ad ius *clauium*, aut ad potestatem *soluendi & ligandi*. Hoc argumento duntaxat utebantur illæ ecclesiæ, quæ paulo liberius eiectos ex quocunque lapsu recipiendos esse credebant. Aiebant, ecclesiæ competere potestatem *soluendi*, h. e. recipiendi eiectos & *ligandi*, h. e. denegandi reditum ad ecclesiam, eiusque gremium. Non ergo liquet, tempore TERTVLLIANI in potestate *ligandi* fundamentum *excommunicandi* iam quæsitum fuisse, quod CYPRIANVS demum, vt auctoritati episcopali magnopere impugnatæ nouum munimentum circumponeret, in scenam produxisse videtur.

quo vero sensu & demonstratur.

Inde noui effectus

§. XX. Ita vero noui prorsus effectus excommunicationi dati sunt, inculcatumque fuit, excommuni-

municatum & non solutum in hac terra, in caelo ^{veluti quod li-}
 quoque in perpetuum ligari, atque ea de causa hanc ^{get in caelo}
 poenam esse spiritualem, atque ligare conscientiam
 animamque eieci, quod saeculo IV. potissimum in-
 culcatum est. AVGVSTINVS imprimis huius dogma-
 tis promotor insignis fuit, vt docent loca a GRATIA ^{ex doctrina}
 NO ex eius scriptis excerpta. Primus occurrit in c. 6. ^{Augustini}

C. 24. q. 1. *Quodcunque ligaueris super terram, erit liga-
 tum & in caelo: si hoc Petro tantum dictum est, non hoc fa-
 cit ecclesia, si autem in ecclesia fit (vbi quae in terra ligantur,
 in caelo ligentur, & quae soluantur in terra, soluantur in
 caelo; quia cum excommunicat ecclesia, in caelo ligatur
 excommunicatus; cum reconciliat ecclesia, in caelo
 soluitur excommunicatus) si ergo hoc in ecclesia fit, Petrus,
 quando clauis accepit, ecclesiam sanctam significauit. Al-
 ter occurrit in c. 1. C. 24. q. 3. vbi disquirat, vtrum pro
 peccatis patris anathemate feriendus sit filius? Re-
 spondet ad exempla ex veteri foedere adducta: Hec
 enim fuit corporalis poena, qua legimus, quosdam contem-
 tores Dei cum suis omnibus, qui eiusdem impietatis par-
 ticipes fuerunt, pariter interfectos. Tunc quidem ad ter-
 rorem viuentium mortalia corpora perimebantur, quando-
 que utique moritura. Spiritualem autem poena, qua fit, quod
 scriptum est: Quae ligaueris in terra, erunt ligata & in cae-
 lo, animas obligat; de quibus dictum est: Anima patris mea
 est, & anima filia mea est: anima, quae peccauerit, ipsa mo-
 rietur. Non amplius ergo excommunicatio sepa-
 rabat reum a communione externa, sed etiam ani-
 mam obligabat, vt ab interna cum Deo vnione esset
 exclusus, quod tamen non excommunicationi, sed ^{quae tamen}
 ipsi delicto erat tribuendum, vt ipse fateatur in c. 8. ^{non cohaeret}
 C. 24. q. 4. &, neque enim, ait, solum ad ecclesiam non per-*

D
 tinent,

Et ab alijs ne-
gatur.

inent, qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt, sed etiam illi, qui in eius unitate corporaliter misti per pessimam vitam separantur. Hæc ergo separat a Deo, non autem excommunicatio, quæ inique etiam his, qui Deo uniti sunt, contingere potest, ut P. QVSNELLI theses §. 7. relatæ, sed a curia Romana iniquissime damnatæ, docent. Veritati adhuc suo tempore dedit testimonium HIERONYMVS in c. 4. C. 24. q. 3. Et, si quis, ait, non recto iudicio eorum, qui præsumt ecclesie, depellatur, & foras mittatur: si ipse non ante exiit, hoc est, si non ita egerit, ut mereretur exire; nihil leditur in eo, quod non recto iudicio ab hominibus videtur expulsus. Et ita fit, ut interdum ille, qui foras mittitur, intus sit, & ille foris, qui intus retineri videtur. Eiusdem sententiæ fuit ORIGENES in c. 7. C. 24. q. 3. Cum aliquis, inquit, exit a veritate, a timore Dei, a fide, a charitate; exit de castris ecclesie, etiam si per episcopi vocem minime abiiciatur, sicut e contrario, dum aliquis non recto iudicio foras mittitur; scilicet, si non ante exierit, id est, si non egerit, ut mereretur exire; nihil leditur, interdum enim, qui foras mittitur, intus est, & qui foris est, intus retineri videtur. Ita ergo delictum separat a Deo, non excommunicatio, quæ unionem externam cum ecclesia duntaxat dissoluit. Illo deficiente, hæc non præiudicat animæ. Illo commisso, nihil prodest delinquenti communio externa. Si vtrumque concurrat, delictum rursus tantum, non excommunicatio præiudicat animæ.

Fechti do-
ctrina exa-
minatur.

§. XXI. Enimvero si audiendus esset FECHTIVS in tr. de excommunic. s. 12. & eius doctrina præ articulo fidei, ab A. C. additis asserto, habenda, sine dubio nobis dicam scriberent dissentientes. Exacte conspirat cum principiis nouis a patribus assumptis.

Ait:

Ait: *Et cum quicquid ligatum est in terris, ligatum quoque sit in caelis, Iob. XX, 23. qui per excommunicationem extorris ab externis ecclesiae beneficiis, i. e. tanquam ethnicus & publicanus Matth. XIX, 17. declaratus, ei simul ianua caeli clauditur, usque separatus a Deo atque de Christi corpore ac regno excisus mancipium redditur dæmonum, qui eundem captivum ducunt iuxta voluntatem suam. II. Tim. II, 26. Secundum hoc dogma, quod papali ipsius ingenio admodum conveniens fuit, si FECHTIVS B. SPENERVM, quem iniquissimo persecutus est odio, excommunicasset, hic ex eius libidine & voluntate pessima factus fuisset mancipium diaboli, ipsemet autem excommunicans amicus Dei permanisset. Inepte enim docuit iraditionem satanae, de qua I. Cor. V, 3. 4. 5. fuisse partem necessariam excommunicationis inter Christianos visitatae, cuius contrarium SAMVEL BASNAGE in diff. de iraditione flagitiosi satanae atque anathemate tom. II. anal. p. 473. inserta ostendit, confirmatque Dn. BVDDEVS in theol. moral. P. 3. c. 3. § 63. in not. Nec obstat locus I. Cor. V, 3. 4. 5. quippe qui non de excommunicatione, sed de potestate extraordinaria corporis afflictiones in peccatores immittendi Apostolis concessa intelligendus est.*

§. XXII. Alterum principium, quod ex iure novo excommunicationi Christianorum accessit, & praesens thema potissimum tangit, in eo constitui, quod eiectio, Christianis in more posita, ad rationes excommunicationis iudaicae pedetentim composita, & ita simul in penam civilem conversa fuerit, quae in excommunicatione iudaica latitabat. Id vero vel ideo vix praecaveri potuit, quod ecclesiae essent collectae quoad maximam partem ex iudaeis: quod hi institutis iuribusque patriis superstitionissime inhærent: quod cætus christia-

Alterum principium novum, quod ad rationes excommunicationis iudaicae composita sit

inde effectus civiles accipit

stianorum compositi & effigiati essent ad formam *synagogarum iudaicarum*, & ipsi Apostoli iudæis zelantibus multa adhuc indulgere & permittere debuerint: quod ipsum *regimen externum* ex moribus iudaicis tractum, & pleraque instituta in ecclesia primitiua ita comparata fuerint, vt, si cum moribus iudaicis conferantur, amica quædam conspiratio in iis deprehendatur, quæ cuncta luculentis argumentis illustrauit VITRINGA *de synag. veter.* cum SELDENO aliisque. Ab initio quidem *Christianorum eiectio* ab excommunicatione *iudaica* adhuc distincta erat, prout supra obseruauimus, adeo, vt si vel maxime *Paulus 1. Cor. V. excommunicationem iudaicam* in traditione facinorosi diabolo, in imitationem traxerit, (quod iudæi quoque formulis eiusmodi vsi fuerint, obseruante Dn. PFAFFIO *cit. l. p. 72.*) illa tamen potestas a PAVLO *virtute extraordinaria* exerceri potuit, quæ iudaicis imprecationibus non cohærebat, adeoque nunquam per modum *regule* præscripta est Christianis, vt ea specie vterentur, atque eo intuitu recte dicitur, eam excommunicationi, qua tali, non cohæsisse.

*Varia excommunicatione
apud iudeos*

§. XXIII. Id quod vt eo rectius intelligatur, & dubiis a Dn. PFAFFIO *cit. l.* motis satisfiat, sciendum est, non vnâ eandemque excommunicationis speciem iudæis vsitatam, sed aliam *minorem*, quam Rabbinus *Niddui* separationem, vel segregationem vocabant: aliam *maiores*, quæ *cherem* plerumque dici solita est, vt tradunt ex magistrorum doctrina MORINVS *de admin. sacram. penit. lib. IV. c. 23.* SELDENVS *de synedr. lib. 1. c. 7.* VITRINGA *de synag. vet.* BEVEREGIVS *in comment. ad c. 10. Apostol.* Quidam, vt MORINVS & BEVEREGIVS *tertiam* addunt speciem, excommunicationem per *Shamata*,

mata, quam SELDENVS haud admittit, sed ostendit, *Shamata* pro ipso *deperditionis* aut *mortis decreto* quocumque vsurpari, & sic interdum *Niddui*, interdum vero *Cherem* denotare. Excommunicatio per *Niddui* seu *minor* operabatur eam *status mutationem*, vt intra cubitorum quatuor spatium nemo ad eum accedere posset, exceptis vxore & liberis. Imo in tantum *infamia* laborabat *ciuili*, vt ei fas non esset, vlli adesse conuiuio, aut cibum cum aliquo capere, quod docent loca a MORINO *cit. l. §. 2. & 3.* adducta. Maledicta tamen & execrationes ei non accedebant, quæ demum *maiori* adhærebant, quæ *Cherem* dicta. Hæc enim diris horrendissimis referta erat, & commercio aliorum omni modo aliquem priuabat, si elapso legitimo tempore, quo in *minori* steterat, non curauerat, vt ab eo, a quo excommunicatus fuerat, absolueretur, vel si qualitas delicti statim maiorem desiderabat. Reuera ergo *capitis diminutionem* hoc fulmine tactus patiebatur, *mediæ* non abfimilem, quæ apud Romanos obtinuit, atque in hac demum vsitatae erant formulae, quas adfert Dn. PFAFFVS *cit. l. p. 72.* adeoque euident est, ad *excommunicationem iudaicam* in genere & *per se* non spectasse, quod de *traditione satanæ* adferri solet ex *1. Cor. V, 2. 3. 4.* licet in *maiori* formulae *execrationum* tales adhibita, quæ *angelum perditionis* in eum prouocabant, & inuitabant, quo sensu accipienda sunt, quæ a Dn. PRAES. in *dissert. ad Plin. II. & Tertull. p. 144.* adducta sunt. Neque in his formulis id effici poterat, quod PAVLVS autoritate & virtute *extraordinaria* efficere volebat, adeoque illa traditio satanæ a PAVLO facta & præstita minime inerat *excommunicationi iudaicæ*. Vtraque species iudaici fulminis *pæna ciuilis* erat,

excommunicatum *communione civili*, indeque dependentibus iuribus priuabat, ac *infamiam civilem* continebat; gradu tamen diuerso constabat, nec *communione sacrorum*, ad minimum *templi*, excludebat. Plures vero fuere causæ, ob quas *maior* solebat infligi, quas ex magistris Hebræorum MORINVS *cit. l. c. 27.* refert, nec adeo improbable est, PAVLVM ad eam respexisse *1. Cor. V.* vtut maiori cum virtute eam executus fuerit.

*Diuersa quæ
que erat Chri-
stianorum ex-
communicatio*

*ab episcopo
Stephano se-
culo III. ta-
men iam ad
mores iudai-
cos accommo-
data*

§. XXIV. Interim tamen iam ostensum est, apud Christianos in primitiua ecclesia morem eundem in *electione* adhibitum non fuisse, nec ad *pœnam civilem* aut *forensem* eam declinasse, quamdiu in sua primitiua integritate stetit ecclesia. Vnius speciei tantum faciunt mentionem patres, quæ in totali exclusione, & quidem a *commercio sacrorum*, consistebat; effectus civiles tamen, nec vllam capitis diminutionem aut infamiam continebat, multo minus execrationibus aut diris referta erat. Sed seculo III. quo quorundam episcoporum principatus & ambitio sese extollere cœpit, excommunicatio a quibusdam, more prorsus insolito, etiam extensa est ad denegationem *ciuilibus commercii & officiorum liberorum*, quorum pertinet conuictus communis, hospitalitatis officium, colloquia, cetera. Notissima est audacia STEPHANI, episcopi Romani, qui ob id Afros, quod ab iis dissentiret, & in alia omnia iret in quæstione de *rebaptizatione hæreticorum*, a *communione ecclesiæ*, quantum in se fuit, exclusit, & ab Afris missis, qui concordiam tentarent, *officia humanitatis libera* prorsus denegauit. Id admodum reprehendit & iniquitatis incusat FIRMIANVS episcopus apud CYPRIANVM *epist. 75. p. 228. edit. Brem.*
scri-

scribens: *Quid enim humiliter, aut leuius, quam cum tot episcopis per totum mundum dissensisse; pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus (quod nec vos latere confidimus) modo vobiscum, qui in meridie estis? A quibus legatos Episcopos patienter satis & leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret: adhuc insuper dilectionis & caritatis memor, præciperet fraternitati vniuersæ, ne quis eos in domum suam reciperet; ut venientibus non solum pax & communio, sed & rectum & hospitium negaretur. Hoc est seruasse vnitatem Spiritus in coniunctione pacis, abscindere se a caritatis vnitatis, & alienum se per omnia fratribus facere, & contra sacramentum & fidem contumacis furore discordiæ rebellare. Equidem consortium omne cum hæreticis solebant fideles vitare, ut supra iam monitum; ast in quæstione adducta nullo eo tempore hæresis collocari poterat, quia nondum concilio œcumenico decisa, sed particularibus duntaxat definita erat, quorum decreta nemini legem imponebant, & sicuti episcopi Italiæ in conciliis suis ab Afris recesserant; ita his pariter integrum erat, a sententia Italorum recedere, quod tamen salua pace ecclesiastica fieri debuit. Enimvero, cum contra omne ius & fas STEPHANVS in eam audaciam erumperet, ut omnem communionem Africanis hoc casu denegaret, mox etiam, inaudito hactenus more, addidit commercii ciuilibus denegationem, ut etiam venientibus Afris rectum & hospitium ab omnibus negandum esse constitueret.*

§. XXV. Ita paulisper ad mores iudaicos comm- Seculo IV. hæc mutatio magis firmata
 poni cœpit christianorum excommunicatio. Ne-
 que seculo IV. seqq. euidetiora vestigia huius noui iu-
 ris duntaxat occurrunt; sed gradus etiam excom-
 municationis constituti fuere, quemadmodum apud
 Iudæos

Iudæos maior vel minor erat, quanquam non deprehendam, hanc disciplinam fuisse vniuersalem. Olim tantum ob *crimina grauiora* & delicta publica eiectione decreta fuit, non item ob *leuiora*. His pedetentim ex nimio zelo patrum pœna etiam imposita fuit, & quia pœna delicto conformis esse debet, simulque notum fuit, iudæos quoque ob leuiores excessus excommunicatione minore peccantes percellere, creditum fuit, *gradus* quoque *excommunicationis* more iudaico esse constituendos. Parum quidem tribuendum esse arbitror *canonibus apostolicis*, qui olim apocryphis scriptis annumerati sunt; ad minimum tamen fidem historicam de moribus seculi IV, ad finem currentis, seculi V. facere possunt, & quidem in *ecclesia orientali*, cuius instituta potissimum in illis recensentur. In his vero *duplicis segregationis* sæpe fit mentio, h. e. vel *totalis* & *perpetuæ*, vel *partialis* seu *temporalis*, vt paulo post declarabo, In *can. 9.* apud HARDVIN. *tom. I. concil. p. II.* hæc habentur: *quicumque fideles ingrediuntur, & scripturas audiunt, in precatione autem & sacra communione non permanent, ob ecclesie confusionem offerentes, segregari oportet.* Peccatum hoc leuius fuit, cui eiectione perpetua imponi non potuit; ergo hæc segregatio, seu ἀφορισμός minor pœna esse debuit, quam *excommunicatio* in tribus prioribus seculis duntaxat cognita. Pariter in *c. 10.* *si quis cum excommunicato vel in domo vna precatu fuerit, is segregetur.* In *c. 23.* tempus segregationis determinatur: *laicus, qui se ipsum mutilauit, tribus annis segregetur.* Ab hac segregatione *temporali* distinguebatur illa species, qua quis a *communione omnino* exscindebatur, olim tantum cogni-

gradusque ex-
communicati-
onis consti-
tuti

vt ex canoni-
bus apostolicis
illustratur

cognita, cuius exemplum traditur in *c. 28.* In *c. 56.* laico, qui irriserit claudum, vel surdum, vel eum, cui vitiosus est incessus, pœna segregationis, vel separationis dictatur, quæ iniuria admodum levis, imo spernenda erat. In *c. 63.* eadem pœna laico dictatur, qui iudæorum vel hæreticorum synagogam ad orandum ingressus sit. Quis vero crederet, etiam prohibito tempore ieiunantes segregatos fuisse? Audiamus canonem *65. s. quis clericus inuentus fuerit die dominico ieiunare* (quod nefas erat, teste TERTULLIANO) *vel sabbatho* (quo more tamen ecclesia Romana utebatur hoc seculo) *præterquam vno solo*, (intelligit antepaschale ieiunium) *deponatur: sin autem laicus, segregetur.* Leuiorem hanc laicorum excommunicationem fuisse, ait SVICERVS in *thes. eccles. voce ἀφορισμός*, per quam segregati inter penitentes constituti fuere, & quidem eos, qui *consistentes* vocabantur ad quartum iam promoti gradum, de quibus gradibus succincte agit ALBASPINÆVS *lib. II. de ver. eccles. ritibus, obs. 22. sqq.* Verum hæc coniectura dubitatione non caret.

§. XXVI. In concilio Eliberino circa annum 304. vel 305. habito deprehendi etiam vestigia quædam, differentiam hanc indigitantia. Etenim *c. 16.* prohibitum est, ne hæreticis dentur catholicæ puellæ, eo quod nulla societas esse possit *fideli cum infideli.* Si contra interdictum fecerint parentes, abstinere per quinquennium placet. Hæc absentio est quædam excommunicatio, leuior tamen, quia *temporalis*, ad exemplum iudaicæ minoris, quæ ad triginta dies erat restricta. In *c. 21.* de his, qui non frequentant ecclesias, hæc cauentur: *Si quis in ciuitate positus tres*

E

domi-

*imprimis vero
ex concilio
Eliberino*

*in quo itidem
occurrit ex-
communicatio
temporalis
& perpetua*

dominicas ad ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, vt correptus esse videatur. In c. 40. similiter prohiberi placuit, vt cum rationes suas accipiant possessores, quicquid ad idolum datum fuerit, acceptum non referant; si post interdictum fecerint, per quinquennii spatia temporum a communione esse arcendos. In c. 46. post decem annos communionem dandam apostatis reuersis, disponunt patres. In c. 54. contra frangentes sponsalia hæc decernitur pœna: Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineant se a communione. Contra eos, qui defunctæ vxoris sororem in matrimonium sibi collocant, in c. 61. hoc dispositum est: si quis post obitum vxoris suæ sororem eius duxerit, & ipsa fuerit fidelis, quinquennium a communione placuit abstinere, nisi forte dari pacem velocius necessitas coegerit infirmitatis. Vnde liquet, separationem, segregationem, abstentionem vel ἀφορισμὸν habuisse suos gradus, Hebræis etiam vsitatos, qui itidem species suas excommunicationis appellatione separationis designabant. Id obseruauit SELDENVS de synedr. lib. 1. c. 7. & ait: atque ob pristini iuris seu communionis eiusmodi priuationem dicebatur, tam qui minori, quam qui maiori feriretur, separatus seu diuisus a cœtu, synagoga, ecclesia, vniuersitate, seu republica suorum i. e. ἀπὸ συναγωγῆς seu extra synagogam factus, licet separatio ipsa ac diuisio maioris multo grauior esset & dissimilis ab ea, quæ fuit minoris.

habuitque hoc modo suos gradus.

Vnde noua hæc praxis deriuanda

§. XXVII. In quo autem differentia specifica vtriusque excommunicationis, seu segregationis, aut abstentionis constiterit, & vtrum SVICERI coniecturis §. 25. in f. adductis locus relinquendus sit, inquiringdum paucis est. Variam fuisse praxin per tria priora se-

ra secula circa *electionem*, iam obseruavi aliquoties: quibusdam ecclesiis pacis spem pœnitentibus, quibusdam negantibus & adimentibus. Inde excommunicatio quandoque erat *perpetua*, quandoque *temporalis*. Hispani ex seueriori suo temperamento in *perpetuam* admodum inclinarunt *excommunicationem*, quod tum *Eliberinum*, tum *Toletana concilia* docent. In oriente varius *separationis* vsus fuit, interim tamen eiectioni, quibus spes *restitutionis* non deerat, ad certum tempus non solebant separari, quin potius *separatio indefinita* erat. Probabile autem admodum est, ecclesias, quæ olim excommunicatos nunquam restituebant, aucto *electionis* vsu, & minoribus etiam excessibus applicato, de rigore aliquid remississe, & duplicem *separationem*, *temporalem* & *perpetuam* admisisse. Quamuis vero hæc illa longe durior atque grauior esset, vtraque tamen voce *separationis* vel *absentionis* denotata, & in hoc eiusdem fuit effectus, quod sicuti hæc in *perpetuum*, ita illa *ad tempus* communionis ecclesiasticæ iura eiectioni adimeret, nec adeo cum hodierna *maiori* & *minori* excommunicatione conferri posset. Colligo hanc differentiam indigitatam (1) ex canonibus *Eliberinis*, in quibus grauioribus delictis *perpetua excommunicatio* imposita est sub hac formula: *placuit nec in fine eum communionem accipere, vt in c. 1. 2. 3. 6. 7. 8. 10. 12. 13. 18. 19. 34. 37. 47. 63. 65. 75.* leuioribus autem ad tempus sub simili fere formula: *placuit post biennium vel quinque annos communionem accipere, vt in c. 46. & 55. vel dare communionem vt c. 69. & 72.* (2) Recte obseruat ALBASPINAEVUS in *not. ad c. 1. concil. Eliberin.* etsi nomine *communionis* quandoque

scilicet quod
olim quædam
ecclesie eiectiones
nunquam re-
ceperint.

Interim vtra-
que eiusdem
effectus fuit

cuius funda-
menta tra-
duntur

Cum hodierna
diuisione in
maiorē &
minorem con-
ferri nequit

que *eucharistia* intelligi soleat; tamen in his cano-
nibus antiquisque iudiciis raro ita accipi, sed potius
fidelium societatem & ius societatis designare, a qua
peccatores vel in *perpetuum*, vel *ad tempus* remoue-
bantur, ne eorum consortio & consuetudine cœteri
fideles inficerentur. Hac de causa *absolutionis* ap-
pellatione abstinuerunt, & reditum in ecclesiam vel
eius negationem designarunt formulis adductis,
quod vel *accipere*, vel *non accipere* diceretur *commu-
nionem*. Vnde (3) auguror, statum *excommunicato-
rum* non adeo diuersum fuisse, siue *ad tempus*, siue
in *perpetuum* a *communione* separati essent, nec,
quod SVICERVS asserit, & MORINVS quoque *de admin.
sacram. pœnit. lib. IV. c. 3.* confirmat, recipiendum
esse indistincte. Licet enim, qui *ad tempus* a *com-
munionem segregati* erant, interim *pœnitentiam* agere
deberent; palam tamen est, eo æuo *pœnitentes* in
statu *iektorum* fuisse, & *communione ecclesiastica per-
fecta* priuatos, vt *ad tempus* etiam relegati *gradus
pœnitentiales* subire coacti fuerint, vt hi, qui inde-
finite olim *iecti* erant. Hoc indicat *c. 5. 14. & 76.
concil. Eliber.* vbi hæc formula occurrit: *post quin-
quennii tempora, acta legitima pœnitentia, ad commu-
nionem placuit admitti; pœnitentia autem legitima
nihil aliud erat, quam quæ secundum leges ecclesiasti-
cas per gradus præscriptos peracta erat.* (4) *Quin*
etiam, qui *ad tempus tantum alieni ab ecclesia habe-
bantur*, vt dicitur in *c. 41.* post restitutionem in in-
tegrum pacem *accipere* vel *reconciliari* dicerentur, vt
in *c. 61.* sub hac formula: *nisi forte dari pacem ve-
locius necessitas coegerit infirmitatis.* Similiter in *c. 69.*
vbi hæc adest formula: *placuit eum quinquennium
agere*

agere de ea re penitentiam, & sic reconciliari, qua indigitatur, per quinquennium illum a communione priuatum fuisse. In c. 72. similis occurrit loquendi vsus: placuit eum communioni reconciliari, & c. 79. post annum poterit reconciliari communioni. Iam autem constat, tribus prioribus seculis, in quibus indefinita excommunicatio tantum vsitata erat, has loquendi formulas illis tributas fuisse, qui restituti erant in integrum, & rursus in ius fraternitatis admissi. Denique (5) etiam id obseruo obiter, ex hac excommunicatione temporali ortum traxisse tempora penitentialia, quæ pedetentim singulis delictis in conciliis attributa fuerunt, qua durante reuera in statu excommunicatorum debebant poenitentes.

§. XXVIII. Denique etiam hoc a moribus & institutis iudaicis tractum, vt quandoque excommunicationi execrationes fuerint adiectæ, formula anathematis adhibita. Hæc enim execrationem denotabat, obseruante SVICERO in thes. eccles. hac voce, quod IUXTA BALSAMONEM ad c. 3. synod. Cpolit. sub PHOTIO anathema sit separatio a Deo. In concil. Laodic. c. 29. anno 372. anathema dicitur iudaizantibus. V. HARDVIN. tom. I. concil. p. 786. & iuxta SOCRATEM lib. 7. hist. eccles. c. 34. communi suffragio omnes clerici anathematis vinculo Nestorium innodarunt. Atrocior est formula, quam concil. Tolet. IV. de anno 633. c. 75. apud HARDVIN. tom. III. concil. p. 594. habet: anathema sit in conspectu Spiritus S. & martyrum Christi: atque ab ecclesia catholica, quam periurio profanauerit, efficiatur extraneus, & ab omni communionem Christianorum alienus; neque partem iustorum habeat, sed cum diabolo & angelis eius æternis suppliciis condemnetur, vna cum eis, qui eadem

Secundum
mores iudaicos
excommunicationi
execrationes ad-
ditæ seu anathemata

coniuratione nituntur: ut par pœna perditionis constringat, quos in perniciem praua societas copulat. Pariter in concil. Tolet. XVI. de anno 593. apud EVNDEM cit. l. p. 1800. Anathema sit in conspectu Dei patris & angelorum atque ab ecclesia catholica, quam periurio profanauerit, efficiatur extraneus, & ab omni cœtu Christianorum alienus, & damnatus in futuro iudicio habeatur. Et post pauca: sit anathema maranatha h. e. perditio in aduentu domini & cum Iuda Iscarioth partem habeat. LEO papa IX. in epist. 10. ad Ioannem archiepiscopum Salernitanum apud HARDVIN. tom. VI. concil. p. 965. hac vtitur formula: sciat se autoritate beati Petri, apostolorum principis, calorum regni clauigeri, nostroque anathematis vinculo & innodatum, & a regno Dei alienatum, atque cum diabolo & eius atrocissimis pompis transgressorem sanctorum patrum canonica traditione deputatum. Eadem fere formula vtitur in epist. 12. ad Ioannem Portuensem episcopum apud EVNDEM cit. l. p. 973. hoc adhuc superaddito: atque cum Iuda traditore Domini nostri Iesu Christi cum diabolo & omnibus pompis eius aeterno incendio concremandum.

que formula
admodum
creuerunt

Crescentibus enim seculis creuerunt execrationum formulæ, adeo, vt anno 990. in concil. Syluaneensi apud EVNDEM cit. l. p. 720. patres hanc terrificam conceperint formulam: autoritate omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti, interueniente & adiuuante beata Maria semper Virgine, cum omnibus sanctis: autoritate quoque ac potestate Apostolis tradita, nobisque relicta, excommunicamus, anathematizamus, damnamus, & a liminibus sancte matris ecclesie separamus Atalgerum presbyterum, diaboli membrum, episcopi & cleri, & totius populi Remensis traditorem: eos quoque, qui huius traditionis exstiterunt inuentiones, auctores, factores, cooperatores, fautores, ciniumque depopulatores, & a propriis dominis rerum suarum sub nomine emtionis abalienatores. His adiungimus Laudunensis episcopi peruasores, ac ipsius episcopi gravissimos tutores. Fiat illis, sicut scriptura dicit: Qui dixerunt,

runt, hereditate possideamus sanctuarium Dei: Deus meus, pone illos, ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti: sicut ignis, qui comburit silvam, & sicut flamma comburens montes; ita persequeris eos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos, imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Erubescant & conturbentur in seculum seculi, & confundantur, & pereant; & cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus Altissimus in omni terra: & quia pupillum & viduam non miserati sunt, neque templa Dei reueriti, dominiumque ecclesiarum sibi usurparunt, fiant filii eorum orphani & uxores vidue: scrutetur fenerator omnem substantiam eorum, & diripiant alieni labores illorum; nutantes transferantur filii illorum & mendicent: eiiciantur de habitationibus suis, fiant dies eorum pauci, & principatum eorum accipiat alius: & duplici contritione conterere eos Domine Deus noster: nisi respiciant, & ecclesie catholice fructuosa pœnitentia satisfaciant. Amen, fiat, fiat. In concil. Lemovicensi de anno 1131. sess. 1. apud EVNDEM cit. l. p. 874. maledictionum formula alia concepta & coram populo in tribunali ante altare lecta est: ex auctoritate Dei patris omnipotentis &c. excommunicamus illos milites; maledicti ipsi & adiutores eorum in malum: maledicta arma eorum & caballi illorum; erunt cum Cain fratricida, & cum Iuda traditore, & cum Dathan & Abiran, qui viui introierunt in infernum. Et sicuti hæ lucernæ extinguuntur in oculis vestris, ita gaudium eorum extinguetur in conspectu sanctorum angelorum. Alias similes execrationem formulas habent MORINVS de admin. sacram. pœnit. lib. 8. c. 21. §. 8. sqq. STEPHANVS BALVZIVS tom. II. capitular. p. 665. sqq. alique, quas non regustabo, sed paucis tantum monebo, inde excommunicationem eamque maiorem postea diuifam fuisse in solennem, quæ anathema adiunctum habet, c. 10. de iudic. c. 1. locat. vel non solennem, quæ sine solennitate etiam

etiam verbo fit, *c. 1. X. de eo qui ord. furiv. suscepit. c. 4. de iur. patron.*

Hoc modo mu-
tata excom-
municatio sta-
tum civilem
mutare cepit

Et ut pena
terribilis pro-
posita est.

§. XXIX. Hoc modo excommunicatio ad iudaicum morem & instituta composita non potuit non *statum civilem* excommunicatorum immutare, & in *penam mere civilem* transire, qualis erat iudaica, imo ingentem terrorem omnibus & singulis incutere, quem patres & suis *execrationibus*, & adhibitis solennibus, & denique nouis excogitatis effectibus admodum auxerunt. Hoc indignant grauissima praedicata excommunicationi assignata, quae significarent, nihil terribilius in mundo excogitari hominibusque accidere posse, cum ecclesia non habeat, *ultra quid faciat*, vt dicitur in *c. 10. X. de iudic.* In concil. Colon. I. de anno 1536. P. XIII. c. 5. apud HARDVIN. tom. IX. concil. p. 2025. excommunicatio poena esse dicitur, *qua nulla maior est in ecclesia*, & quod *anathema sit aeternae mortis damnatio*, quod iam olim in Meldensi concilio c. 56. & a GRATIANO in c. 41. C. II. q. 3. relato, traditum est. In concilio Narbonensi de anno 1609. c. 44. apud HARDVIN. tom. IX. pag. 50. MALVM MALORVM esse dicitur excommunicatio, cuius rationes in concil. Toletano de an. 1590. P. IV. c. 1. apud EVNDEM tom. X. p. 185. traduntur. Graue profecto, aiunt patres, & *incomparabile damnum est*, extra communionem sanctorum esse, Dei optimi maximi gratia, spiritali eiusdem protectione, Christi meritis, & demum ecclesiae suffragiis & sacramentorum usu priuari. Haec omnia facit excommunicatio, quae poenarum omnium grauissima, formidabilissimaque, vt Christianis minime contemnenda, sed potius summo cum tremore pertimescenda.

§. XXX.

§. XXX. Hac de causa qui excommunicatio-
 ne non terrentur, sed eam contemnunt, parvique
 habent, graviter admodum delinquere, seque *hære-*
seos suspectos facere dicuntur, quo crimine rursus
 terribilius excogitari nequit. Iam olim monuit IO.
 CHRYSOSTOMVS in c. 31. C. II. qu. 3. *Nemo contemnat*
vincula ecclesiastica. Non enim homo est, qui ligat, sed
Christus, qui nobis hanc potestatem dedit, & dominos fe-
cit homines tanti honoris. Addit AVGVSTINVS in c. 33.
 C. II. qu. 3. *nihil sic debet formidare christianus, quam se-*
parari a corpore Christi. Si enim separatur a corpore
Christi, non est membrum eius, non vegetatur spiritu
eius. Quisquis autem, inquit Apostolus, Spiritum Chri-
sti non habet, hic non est eius. Præterea vero, ut in
 c. 32. idem tradit, *satanae traditur: quomodo? scilicet,*
quia extra ecclesiam diabolus est, sicut in ecclesia Christus.
 Neque hoc duntaxat restringendum ad excommu-
 nicationem iustam; *sententia enim pastoris, siue iusta,*
siue iniusta fuerit, rimenda est, ut asseritur in c. 1. &
 27. C. II. q. 3. *Secus qui fecerit, tanquam contem-*
tor clauium ecclesie habendus & coërcendus, iuxta
 c. 38. concil. Colon. de anno 1266. apud HARDVIN.
 tom VII. p. 575. *quia contemnere claves heretica prau-*
itas est, ex sententia concilii Albiensis de anno 1254. c. 31.
 apud EVNDEM cit. l. p. 462. *vel ad minimum su-*
 spicionem de hæresi operatur, ut decernit concil.
 Compendiense de an. 1304. c. 4. apud EVNDEM cit. l.
 p. 1276.

§ XXXI. Ecce enim, eiusmodi homo, qui
 satanae traditus, extra ecclesiam constitutus, & ab
 ipso ligatus est Christo, ab omnibus vitandus, & ut
 pestifera lues fugiendus est. Hic primus effectus
 F
 produxit

*Hanc partem
 qui perui ha-
 bet, ab hærese
 vix abest*

*adeoque ab
 omnibus ri-
 menda*

etiam iniusta.

*Ante omnia
 vero vitandus
 ab omnibus
 eiectus*

2



unde effectus
civiles orti

quorum vesti-
gia seculo IV.
ad huc desunt

quo adhuc
commercium
sacrum tan-
tum interd-
ctum.

Seculo V. iam
commercium
civile adem-
tum

produxit omnes reliquos *civiles*, quia cum eo *com-
mercium civile* nullum suscipi potest, qui ab omni-
bus vitandus esse creditur. Quocirca de hoc effe-
ctu primum videndum. Iam observavi, per tria
priora secula hanc fugam eiektorum in *causis civili-
bus* defuisse, quæ demum seculo V. graviter incul-
cata est, cum seculo IV. evidentia argumenta & ve-
stigia desint. Nam in *c. 10. Apost.* tantum, ne quis
cum excommunicato precetur, prohibetur, quam-
vis etiam hic apocryphus sit. Ast in *concil. Antioch.
de anno 341. c. 2.* apud HARDVIN. *tom. I. concil. p. 594.*
hæc doctrina certius, iuxta Isidori interpretationem
inculcatur: *non autem liceat communicare excommu-
nicatis, neque cum his per domos ingredi, & cum eis ora-
re, qui ecclesie non participant in oratione.* Enimve-
ro melior est *Dionysiana* interpretatio: *nec cum his,
qui per domos conveniunt, deviantes orationes ecclesie,
simul orandum est, ut sensus sit, cum eis non esse si-
mul in domibus privatis orandum, qui ob excom-
municationem ad ecclesie sacra accedere non au-
dent, adeoque commercium sacrum iis tantum inter-
dictum est.* *Communicare enim cum aliquo diceban-
tur iuxta ecclesie antiquæ sensum, qui tanquam
cum membro ecclesie seu fratre in sacris eius com-
munionem fruebantur, veluti cum eo orantes, aga-
pen communem cum eo facientes &c.* Iam tamen
anno 400. in *concil. Tolet. 1. c. 15.* apud HARDVIN.
tom. I. p. 291. & GRATIANVM in *c. 16. C. 11. q. 3.* prohibi-
tum quoque est, ne quis ad excommunicatum, vel
ad domum eius accedat. *Si quis enim, aiunt patres,
cum illo colloqui, aut conuiuari fuerit deprehensus, et-
iam ipse abstineatur.* Probat illustratque hoc ipsum

GRA-

GRATIANVS ex sententia CHRYSOSTOMI relata in c. 24. C. ii. q. 3. quod Apostolus non prohibeat, ad mensam ire paganorum, bene tamen facinorosorum, aiens: *Si quis, qui frater nominatur, fuerit fornicator, aut avarus, aut ebriosus, nec cum eo cibum sumere*, quæ verba quidem de *excommunicato* proprie non disponunt, ad eum tamen a GRATIANO trahuntur, quod in eo tale delictum supponatur. Confirmata sunt hæc statuta in *concil. Arelat. II. c. 49. de anno 452.* apud HARDVIN. *tom. II. concil. p. 777. secundum instituta seniorum, si quis a communione sacerdotali fuerit autoritate suspensus; hunc non solum a clericorum, sed etiam a totius populi colloquio atque conuiuio placuit excludi*, quo ipso civili infamia reuera notatus est. Cum quo enim nec colloquia miscere, nec cibum sumere licet, ille pro *abiectissimo* habendus, in quo ratio infamiæ consistit. In *concil. Epaonensi c. 15. d. anno. 517.* speciatim hoc applicatum ad *conuiuia hæreticorum* summopere vitanda; generatim autem in *concil. Antisiodorensi de anno 578. c. 39.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 446.* ad omnes applicatum *excommunicatos: si quis presbyter, aut quilibet de clero, aut de populo excommunicatum absque voluntate ipsius, qui eum excommunicauit, sciens receperit, aut cum illo panem manducauerit, vel colloquium habere decreuerit, simili sententiæ subiacebit.* Ex his adductis locis liquet, demum ab anno 400. & sic a *primordio seculi V.* per canones fugam excommunicatorum effectus civiles accepisse, quæ olim tantum operabatur, ne quis in sacris cum iis communicaret. Agnoscit id ipsum DUPINVS *diss. III. de discipl. eccl. c. 3. p. 295.* aiens: *vix ac non nisi* ^{quod sententia Dupinii illustratur.} *quis canonibus statutam leges in eos, qui cum excommunica-*

is cibum sumerent, sed recentioribus tantum canonibus, vt concilii Epaonenfis c. 15. Antisiodorensis c. 39. quamuis in his non demum hic effectus ciuilis deprehendatur, sed iam in *Toletano I.* & *Arelatenfi II.* receptus & introductus fuerit.

effectus ciuiles
in compendio
referuntur

§. XXXII. Ab hoc tempore effectus ciuiles excommunicationis magis magisque aucti sunt, quo eo grauius pondus ei accederet, & reipublicæ ecclesiasticæ sua staret auctoritas. Bona, quibus excommunicatus priuatur, hoc denotantur versiculo vulgatissimo:

Si pro delictis anathema quis efficiatur,

Os, orare, vale, communicio, mensa negatur.

quem plenius explicant *EVELLON cit. tr. tom. II. art. 31. p. 263. sqq.* *DECASTILLO cit. tr. dubit. 33. p. 113. sq.* *GIBALINVS cit. tr. disquis. VII. qu. 9. p. 1. p. 279.* Videlicet (1) *oris* nomine non tantum osculum, sed etiam colloquium indigitatur, vt ne quidem per *litteras, nuncium, signa*, aut *nutum* cum eo agi debeat. (2) per *os orare* prohibetur omne commercium sacrum cum eiecto, qui effectus olim vnice eiectioni inerat. (3) Voce *vale* omnis honorifica salutatio designatur, quæ excommunicato adeo deneganda, vt ne quidem caput aperire, neque assurgere, neque via decedere, neque vllum aliquod honoris aut reuerentiæ signum exhibere excommunicato liceat, vt Doctores a *GIBALINO cit. l. p. 280.* adducti credunt. (4) *Mensa communis* porro esse nequit cum excommunicato, multo minus ergo communi lecto aut habitatione cum fulmine hoc tacto vtendum. Hi effectus in *Capitularibus lib. V. c. 62.* quoque traduntur: & vt sciatis qualis sit modus istius, excommunicationis, in ecclesiam non

non debet intrare, nec cum vlllo christiano cibum vel potum sumere, nec eius munera quisquam accipere debet, vel osculum porrigere, nec in oratione se iungere, vel salutare. Denique (5) communio prohibetur, qua appellatione omne commercium civile designant, vt nullum negotium civile vel humanum cum eo suscipere liceat. En explicationem a DICASTILLO p. 114. traditam: voce communionis prohibetur omnis associatio in aliis actionibus exterioribus; huiusmodi sunt cooperari simul vel illum iuuare in aliqua actione, seseque illi socium adiungere in aliquo negotio gerendo, inire cum illo contractus, cohabitare in eadem domo, dormire in eodem lecto, negotia etiam turpia cum illo exercere. Quid ergo, si meretrix cum excommunicato scienter coeat? etiam tunc excommunicata est, vnde adhuc deletum habere debet, ne quemuis admittat. Vno verbo, tam infamis atque turpissima macula notatus est, vt ne quidem meretrix, infamis persona, secum cum eo concumbere possit, ob metum communionis carnalis. En ἀπόστα, quæ nimia interpretum curiositas & subtilitas introduxit.

§. XXXIII. Tradidi in compendio, doctrinam communem ex dogmate male intellecto, de ^{Capitis deminutionem in-} fuga excommunicatorum natam, vnde statim liquet, ^{roducit} statum excommunicatorum civilem secundam placita recentioris iuris ecclesiastici nullum esse, eosque fere pro capite minutis, seu iis, qui mediam passi erant, habendos. Id quod vt speciatim ostendam, per singulos effectus civiles, ab ANTONIO RICCIOLLO de iure person. extra grem. eccles. existent. lib. IV. explicatos fusissime, in compendio ire licebit, & primo loco quidem, qui forum & publica officia con-

Nam 1) nec
agere nec acu-
sare potest
excommuni-
catus

haec exceptio
actori semper
opponi potest

nunt. Videlicet (1) *excommunicatus neque accusare neque agere potest*, quod alias singulis permittitur, ut ne quidem infames ab agendo & iure suo persequendo arceantur. Apud BALVZ. tom. I. capitul. lib. III. c. 180. hac de re ita cautum: *vt excommunicatus a sacerdote, quamdiu in ipsa est excommunicatione, maiores natu vel episcopos accusare non praesumat, quia hunc non humanis, sed diuinis vocibus mortuum esse scimus, vt lib. VII. c. 322. p. 1096. additur.* Iam in concilio Africano iuxta c. 1. C. 4. q. 1. cautum erat: *desinimus, eum recte ad accusationem non admitti, qui postquam excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, siue sit clericus, siue laicus, accusare voluerit.* Proinde accusatori opponi potest *exceptio excommunicationis*, vt ne quidem haec elidatur per replicationem, quod reus communicauerit cum excommunicato actore, quia haec *excommunicatio tantum minorem operatur, atque non a foro, sed a sacramentorum participatione remoueat. c. 2. 8. de except.* Licet vero agere non possit, conueniri tamen potest, vt per alium respondeat in iudicio, ne videatur *de sua malitia commodum reportare c. 7. X. de iudic.* Ceterum *exceptio excommunicationis actori opposita dilatoria quidem est, interim in qualibet iudicii parte opponi potest, quia nullitatem operatur, sicuti in genere inhabilitatis ad agendum per c. 12. de except. vel vt dicitur in c. 1. de except. in 6. vt ex hoc magis censura ecclesiastica timeatur, communionis periculum euitetur, contumaciae vitium reprimatur, & excommunicati (dum a communibus actibus excluduntur) rubore suffusi ad humilitatis gratiam & reconciliationis affectum facilius inclinentur.* Necesse tamen est, vt excipiens de excommunicatione 1) speciem eius exprimat, 2) intra octo dierum spatium apertissimis documentis eam doceat; alioquin ea non obstante,

obstante, iudex in causa procedere poterit, quia compertum fuit, sæpe per *malitiam* hanc exceptionem opponi *c. 1. de except. in 6.* Neque vero hoc ad iudicia ecclesiastica duntaxat pertinent: iudex secularis quoque per censuram ecclesiasticam compellendus, vt excommunicatos ab agendo repellat, *c. 8. de sentent. excomm. in 6.* adeoque hoc *spirituali* gaudio iudicem secularem ad suam voluntatem & lubidinem quouis modo trahere possunt.

§. XXXIV. Præterea (II) *excommunicatus* <sup>ab aduocato-
rum officio re-
mouetur</sup> nec postulando, nec testimonium ferendo in foro com-
parare potest. vid. concil. Syluanectense d. anno 1326. c. 4. apud HARDVIN. tom. VII. p. 1532. Quodenim ius postulandi pro aliis concernit, expresse decreuit ALEXANDER IV. in *c. 8. de sent. excom. in 6.* ne iudices seculares excommunicatos ad *patrocinandum* admittant, siue partes actoris, siue rei tueantur. Valida nihilominus tamen acta fore, licet admissus fuerit excommunicatus, arbitratur GIBALINVS *cit. tr. p. 270.* quod valor scripturæ ex argumentis & eruditione dependeat, non ex *permissione patrocinandi.* Breuiter: ex mente eius iudex quidem male agit, quod excommunicatum admiserit, actis tamen nullum vitium inde cohæret, quæ vitio excommunicationis haud infecta sunt. Pari ratione nec *procu-
ratoris* partes tueri potest, ideo, quod in iudicio stare non possit. *c. 7. X. de iudic.* Exceptionem *infamie* quidem sustulit imperator §. *f. 1. de except.* sed excommunicatio plus operatur ex mente iuris Canonici, quam nuda & simplex infamia. Rufus tamen Canonistæ docent, si neque a parte, neque a iudice repulsus est, valere ab eo gesta, adeoque falsum

nec potest esse
procurator

sum esse, superuenientem excommunicationem inducere reuocationem mandati, obseruante GIBALINO *cit. l. p. 271.* Posterius quidem asserere videtur ANTON. RICCIULLVS *de iure person. extr. eccl. grem. exist. lib. IV c. 24. n. 9.* non tamen *n. 11.* negat, valere ab excommunicato gesta, si de excommunicatione non excipiatur. Eadem de causa iuxta RICCIULLVM

nec Notarius cit. l. 30. non potest excommunicatus Notarius munus suum exercere in iudicio, quod, quamdiu hoc vinculo ligatus est, interim nullam fidem mereatur. Denique a testimonio quoque repellitur per *c. 2 de sentent. excomm. in 6.* Vnde antiquitus moris fuit, vt testes interrogarentur: ob sich Zeüge irgend eines Bannis bemust sey? adeo, vt in der Hoffgerichts-Ordnung GEORGH, *Ducis Brunsvicensis & Lüneb. de an. 1639. tit. 43.* adhuc hoc interrogatum probatum fuerit: Ob Zeüge in geist- oder weltlichen Bann, Acht und Oberacht begriffen? quod tamen per infra dicenda hodie reiicitur.

exclusi excommunicati ab officiis publicis

§. XXXV. Imprimis vero (III) excommunicati ad officia publica non admittendi, nec admissi munus suum exercere possunt. Hac de re ita cautum est in concilio Auenionensi de anno 1326. c. 16. apud HARDVIN. tom. VII. concil. p. 1500. Item statuimus, quod excommunicati, in iudices, consules, rectores, bailiuos, potestates, assessores, vel notarios, vel ad alia quevis publica officia, nullatenus assumantur, nec etiam admittantur: & si de facto admissi fuerint, sententia per eos vel eorum auctoritate in iudicio vel extra habita, & monimenta eorum eis, vel per eos facta, nulla & nulli sint ipso iure. Et nihilominus quicumque, cuiuscumque dignitatis, status, aut conditionis existant, si tales excommunicatos ad aliquod officiorum predictorum scienter assumerint, vel assumptos per alios approbauerint, vel

vel confirmauerint, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto. Et si requisiti per ordinarium, vel alium eius nomine, huiusmodi excommunicatos infra decem dies a tempore requisitionis a prædictis officiis sic assumptos non amouerint cum effectu: loca illa, in quibus ad aliquod prædictorum officiorum assumti fuerint, sic & tamdiu remaneant ecclesiastico supposita interdicto, donec sic excommunicati, a susceptis officiis realiter, & sine fraude, & sine aliqua restitutionis spe, quamdiu in excommunicatione persisterint, sint amoti: vniuersitas a ciuitas castri vel villa, que excommunicatos, & in ecclesia publice denunciatos ad aliquod prædictorum officiorum assumserit vel elegerit, ubi eis alias hoc liceret, ecclesiastico etiam sit supposita interdicto. Acerbius vix quicquam constitui potest. Etenim 1) acta eorum pro nullis declarantur, quod sine summa reip. calamitate & iniuria constitui non potuit, præsertim, cum tot capita sint, ex quibus quis iram cleri incurrere & excommunicari queat: 2) ab officiis remouendi sunt: 3) si superiores eosdem non remouerint, ipsi quoque ipso iure bannum hoc incurrunt, & tandem 4) terra interdicto pulsatur, vt subditi rædio interdicti affecti excitentur ad seditionem contra magistratum mouendam. Id vero ideo constituendum fuit, vt hoc mucrone excommunicationis magistratus quilibet eo strictius adigi queat ad voluntatem ecclesiæ seu cleri imperantis in omnibus sequendam, & sub tanto periculo quiduis eidem concedendum. In concil. Valentino de anno 1248. c. 14. apud EVNDEM cit. l. p. 427. idem constitutum esse deprehendo: Item excommunicati, in consules, potestates, assessores, bailiuos, vel ad alia officia publica nullatenus eligantur: & qui tales scienter elegerint, excommunicentur: & nulla sententia lata per ipsos siue eorum auctoritate valeat; seu processus habitii per eosdem, siue auctoritate ipsorum.

cum magna
reipubl. con-
fusione

quod per va-
ria concilia
confirmatum.

G

Præ-

Præterea in c. 17. contra eos, qui nihilominus officii sese ingerunt, hoc cautum: *Item excommunicati publici se officiis ecclesiasticis pertinaciter ingerentes, nec volentes inde recedere, ad sacerdotis, seu prælati mandatum; propter hoc excommunicentur, & a suo prælato excommunicati publice nuncientur, & non nisi per sedem Apostolicam ab hac excommunicationis sententia absoluantur.* Pariter *Albiense anno 1234. c. 34. apud EVNDEM cit. l. p. 463. confirmat Valentini concilii statuta his verbis: de excommunicatis autem in consules, potestates, rectores, assessores, bailiuos, vel ad alia publica officia nullatenus assumendis, & illis, qui tales scienter elegerint; nec non illis, qui contra excommunicatores, vel denunciatores excommunicationum, statuta banna faciunt, seu præcepta; ac de excommunicatis publice, qui se officiis ecclesiasticis ingerere pertinaciter non verentur, nec inde volunt recedere, a sacerdote moniti vel prælatis; & de intersectoribus clericorum: supradictum concilium Valentinum seruari volumus & mandamus.* In c. 31. omnibus comitibus, baronibus aliisque secularibus potestatibus seuerissime iniungitur, *ne aliquem excommunicatum suum iudicem, consiliarium, vel bailiuum faciant, sub pœna minoris excommunicationis.*

& in iure canonico fundatum est

§. XXXVI. Atque cum his quoque doctrina communis iuris Canonici conspirat. Etenim cautum est in c. 24. X. de sent. & re iud. sententiam latam fore nullam, *si vnus ex delegatis vinculo excommunicationis publice inmodatus fuerit.* Publica denunciatio desideratur, quod euidentius postea & generaliter constitutum est in decretali MARTINI V. *ad euitanda scandala*, quam refert & explicat EVEILLON *cit. rr. tom. I. p. 67.* Vnde quoque ne quidem voluntate partium recipi potest excommunicatus in
arbi-

arbitrum, quamuis de eo olim in Germania graues excitatæ lites fuerint. ANTON. RICCIULLVS *cit. tr. lib. IV. c. 20.* Rationem petunt ex *c. 12. X. de except. ne quisquam in periculum animæ suæ excommunicato communicare tenetur.* Licet enim infames non repellantur, obseruatum tamen iam aliquoties est, fulmen hoc plus operari, quam simplicem infamiam, omnemque communionem prohibere.

§. XXXVII. In hunc finem quoque (IV) *excommuni-*
caro magi-
stratui supre-
mo denegan-
da obedientia
 magistratui excommunicato, etiam supremo, non amplius parendum, nec ei seruiendum vt domino feudi, sed omne vinculum subiectionis & fidelitatis excommunicatione rumpitur, adeo, vt tandem summi principes deponendi, & ab officio suo publico remouendi sint. Hæc conclusio, quo iniquior & improbius est, eo grauiori calumitate afflixit imperia, regna, principatus, ciuitates. Sed hæc detrimenta & mala publica pastor ecclesiæ vniuersalis, vt dici voluit, parui duxit, & contemnenda esse censuit, vt suo pede vniuersum orbem subiicere, & supremos imperantes hoc fulminis grauisissimi terrore in subiectione & fidelitate continere posset. GREGORIUS VII. audax ille papa, in *c. 4. C. 15. q. 6.* dictatorio suo decreto hoc confirmauit: *Nos sanctorum Prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolica autoritate a sacramento absoluiimus: & ne eis fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus: quousque ipsi ad satisfactionem veniant.* Pariter VRBANVS II. in *c. 5. ibid.* eandem fulminis huius auctoritatem agnouit & approbavit: *Iuratos milites Hugoni Comiti, ne ipsi, quamdiu excommunicatus est, ser-*
 uiant,

imprimis si
intra annum
in excommu-
nicationis ste-
rit

viant, prohibeto. Qui si sacramenta prætenderint; moneantur, oportere Deo magis seruire, quam hominibus. Fidelitatem enim, quam Christiano Principi iuraverunt, Deo eiusque sanctis aduersanti, & eorum præcepta calcanti, nulla cohibentur autoritate persolvere. Id vero tunc imprimis locum habere censuere pontifices, si ultra annum in excommunicatione permanferit, & clauem ligantem contemserit, quod tunc, prout supra ostensum est, pertinax fiat suspectus de hæresi, cui non amplius seruiendum, nec obediendum, quamuis pontifex maioris securitatis gratia absolvere soleat subditos a nexu subiectionis per c. fin. X. de pæn. c. fin. de hæret. Conf. RICCVLLVS cit. tr. lib. IV. c. 52.

Gibalinus ta-
men hunc effe-
ctum excom-
municationi non
tribuit

§. XXXVIII. GIBALINVS tamen, quamuis e tali familia sit, quæ raro in æquiores sententiam inclinatur, cit. tr. de sacra iuris. in serend. cens. & pæn. eccles. p. 309. quod mirandum est, in hac quæstione bonam agnoscit fidem, nec putat, hunc effectum, qui atrocissimus est omnesque improbitate sua superat, per se non coherere censuræ. Quæstionem enim mouet hanc: an vasalli & subditi communicare possint cum domino excommunicato? Respondet: Posse in iis omnibus, quæ ad hominum & debitam subiectionem spectant, ex nostra regula generali; cum enim vi censuræ principes & alii domini neque dignitatem, neque dominium, neque iurisdictionem amittant; tenebuntur vasalli & subditi ea omnia præstare domino excommunicato vitando, quæ ante excommunicationem debebant, quandoquidem enim manet idem ius in domino, & obligatio in subdito, illa omnino implenda est, & si nequeat impleri absque communicatione, communicandum erit, atque ita soluenda tributa, & alia debita iure subiectionis, etiamsi in propria persona exhiberi debeant, vt sunt homagia

homagia quedam personalia ; si enim priuatus non amittit rerum suarum dominium per excommunicationem, neque eius prætextu potest spoliari bonorum suorum possessione a domino: quo iure ipse dominus ratione solius censuræ suis iuribus, dominis, debitis ac bonis spoliabitur a subditis, fidelitatem, obedientiam, tributa, aliaque obsequia, ad que præstanda ratione subiectionis tenentur, denegantibus, quando manet eadem subiectionis post excommunicationem, que ante illam erat.

§. XXXIX. Ita quidem recte censet GIBALINVS, quamuis adhuc iuste dubitari potuisset, vtrum etiam supremus imperans hoc vinculo, quod summi præiudicii est, ligari possit, quam quæstionem, in dubium iam quidem non vocabo. Assumam ergo, quod vt plurimum a Romanæ ecclesiæ doctoribus tradi solet, reges excommunicari posse, & tantum de huius fulminis effectibus civilibus ero sollicitus. Vix enim quisquam est inter Romanæ ecclesiæ interpretes, qui hanc quæstionem negauerit, adeo, vt etiam RECHTIVS cit. tr. § 7. inter protestantes eandem improbe defendendam susceperit. Reformatos quoque in Gallia vsu excommunicationis erga principes, qui suæ confessionis erant, extendisse, euidentis est ex iis, quæ tradit de PLESSIS MORNAY dans ses lettres & memoires p. m. 536. vbi singulariter notanda est epistola Præsidis JEANNINI, vnde frequentior vsus apparet, quem adductus autor p. 545. defendit. CONDEVS, vt ut sanguine regio cretus esset, a consistorio Rupellensi excommunicatus est, quin quod HENRICVS IV, quod virginem deflorasset, a reformatis pœnitentiæ subiectus fuerit. Quis ergo mirabitur, doctores ecclesiæ Romanæ hoc dogma acriter defendere, imprimis vero curiæ Romanæ

Supponunt enim reges principesque supremos excommunicari posse

proceres, vtpote animaduertentes, hoc fulminere-
ges in officio & subiectione contineri. Posse enim
ad curiam Romanam vaticinium poetæ applicari per-
suasum habeo, quod, olim de vastissimo imperio
Romano cecinit:

*Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacisque imponere morem.
Parcere subiectis, & debellare superbos.*

*Remissus iu-
diciū de ex-
communica-
tione regum
fert Dupinius*

§. XL. Videlicet de modo excommunicandi dissen-
tiant doctores ecclesiæ Romanæ, quibusdam rem-
missius agentibus, quibusdam excommunicationis
effectus ciuiles in excommunicatis imperantibus
vltra modum extendentibus. Inter illos eminent
DUPINIUS de discipl. eccles. diss. 3. c. 2. p. 279. vbi præ-
mitit quæstionem præiudicialē aitque: *Itaque hoc
vnum inquirendum restat: vtrum Reges excommunicari
possint; cum enim Romani pontifices a Gregorio VII. ita Re-
ges excommunicarint, vt simul eorum subditos a sacramento
fidei absoluerent, regnaque eorum cuiuslibet occupanda trade-
rent; hinc factum est, vt Regum defensores negarint, abso-
lute Reges excommunicari posse, eo scilicet modo, quo Roma-
ni pontifices eos excommunicare conabantur. Verum, si
quis exacte loqui velit, dicere debet, Reges absolute ab eccle-
sia excommunicari posse, hoc est, indignos ecclesie commu-
nionē declarari in rebus spiritualibus, non autem in tempo-
ralibus ac ciuilibus; nam proprius effectus excommunicatio-
nis, vti modo dicemus, non attingit temporalia, sed spiritua-
lia. Nullum autem mihi dubium moueri posse videtur, quin
Reges peccatores vel heretici declarari possint hoc sensu ec-
clesiæ communionē indigni. Nam, licet Monarchæ sint, &
principes reipublicæ ciuilis, in reipublica tamen ecclesiastica
membra tantum sunt, & legibus eius reipublicæ debent ob-
temperare, aut ab ea excidere; nam ecclesiæ nullus est Do-
minus, nullus Monarcha, nullus in ea ab eius legibus immu-
nis.*

nis. Potest ergo absolute is princeps, qui leges Christi & ecclesie violat, ecclesia indignus haberi & declarari. Postquam vero hanc sententiam quibusdam exemplis illustravit, subiungit, contra regulas prudentiæ hanc excommunicationem esse. Nam p. 280. hæc addit: Verum licet absolute possint excommunicari Reges, non tamen expedit id facere, plus enim inde detrimenti reipublice Christiane accedit, quam boni; nec id fieri potest sine magno periculo schismatis, pacis publicæ perturbatione, ecclesie vexatione, & cæteris calamitatibus, quas inde sequi moraliter, ut aiunt, certum est. Quapropter iuxta regulam superius ex Augustino traditam, vix unquam debent excommunicari Reges ac principes: atque hinc in Imperatores Christiana religioni insensissimos & hæreticis addictissimos nullam excommunicationis censuram antiqui episcopi fulminasse leguntur, ne scilicet eos gravius exacerbarent aduersus ecclesiam. Quis ignorat, quantum fuerit Constantii in hæreticos studium? Cui sunt ignote vexationes, quibus episcopos orthodoxos in ecclesia affecit? non tamen propterea quisquam eum excommunicavit; non Anastasius, non Osius, non Liberius ullam in eum excommunicationis dixere sententiam. Valentem Arium nemo a communione ecclesie expulit, imo Basilius eum ad sacra mysteria admisit, testis Theodorus lib. 4. hist. c. 19. Zenonem Imperatorem fidei catholice iniquiorem & hæreticis fanentem benigne adhortati sunt Romani Pontifices, nec censuris eum percusserunt, sed totam culpam in Acacium refudere: vide Epistolam tertiam Felicis tertii ad Zenonem, & Gelasii Episc. II. ad Dardanios. Vitalianus Papa Constantem, Heraclii nepotem, hæreticum; fratricidam & sacrilegum, qui Martinum e sede deiecerant, & relegatum fame consecerat, qui in Maximum & eius discipulos seuerat, non modo non excommunicavit, sed & honorifice excepit. Gregorius Magnus legem Mauriti parum æquam promulgavit, nec propter eam illum excommunicatione percudit, sed ut legem reuocaret, de-

center

putatque illam non prudenter regibus instigi

que argumen-
ta ostendunt,
reges excom-
municandos
non esse

center admonuit. Idem Pontifex Phocam, crudelissimum Mauriui interfectorem non modo non excommunicauit, sed & multis laudibus extulit. Ex quibus, & aliis innumeris, quæ hic afferrî possent, abunde liquet, reges & principes, licet malos in ecclesia tolerandos sæpius esse, quam excommunicandos. Hæc, quæ tradita sunt, qui exanimat, facilemecum in eam ibit sententiam, reges principesque excommunicari non debere, imprimis, postquam adeo a prisca indole desciiuit excommunicatio, vt non tantum in pœnam ciuilem penitus degenerauerit, sed etiam iacturam status ciuilis non possit non secum ferre, quæ in principe ipsum publicum afficit statum, remque publicam euertit, turbat, destruit, quod a verbo DEI & intentione Saluatoris alienum est. Qualecunque ergo temperamentum huic regum principumque excommunicationi in ecclesia Romana circumponatur, palam tamen est, illud absque effectu & inane esse, quod doctrina communis, imo curiæ Romanæ eidem repugnet.

Gregorii VII.
methodus in
excommuni-
cando impe-
ratore & de-
ponendo

§. XLI. Ipse Pontifex Romanus hoc dogma a temporibus GREGORII VII. omnibus modis propugnandum censuit, reges non tantum posse excommunicari, sed excommunicatos etiam deponi, & regno suo priuari, qui effectus ex doctrina communi de fuga excommunicatorum & maxime hereticorum absoluta deriuandus est. Equidem OTTO Frisingensis lib. VI. c. 35. dum GREGORII VII. audacissima facinora enarrat, hæc præmittit: lego & relego Romanorum regum & imperatorum gesta, & nusquam inuenio, ante hunc a Romano pontifice vel excommunicatum, vel regno priuatum. Prius tamen simpliciter negari nequit,

nequit, bene tamen posterius, quod primus GREGORIUS VII. ex doctrina communi traxit, & in vsum deduxit. En eius decretum funestum in Imperatorem HENRICVM IV. in concilio Romano VII. apud HARDVIN. tom. VI. P. I. concil. p. 1591. Quapropter confidens de iudicio & misericordia Dei, eiusque piissimæ matris, semper virginis Mariæ, fultus vestra autoritate, sepe nominatum Henricum, quem regem dicunt, omnesque fautores eius excommunicationi subiicio, & anathematis vinculis alligo: & iterum regnum Teutonicorum & Italiae ex parte omnipotentis Dei & vestra interdicens ei, omnem potestatem & dignitatem illi regiam tollo, & vt nullus Christianorum ei sicut regi obediat, interdico, omnesque, qui ei iurauerunt, vel iurabunt, de regni dominatione, a iuramenti promissione absoluo. Vt autem se ad hoc improbum facinus legitimaret, hæc ex communi doctrina adiecit: Agite nunc, quaeso, patres & principes sanctissimi, vt omnis mundus intelligat & cognoscat, quia, si potestis in cælo ligare & soluere, potestis in terra imperia, regna, principatus, ducatus, marchias, comitatus, & omnium hominum possessiones pro meritis tollere unicuique & concedere. Vos enim patriarchatus, primatus, archiepiscopatus, episcopatus frequenter iustis prauis & indignis, & religiosis viris dedistis. Si enim spiritualia iudicatis, quid de secularibus vos posse credendum est? & si angelos dominantres omnibus superbis principibus iudicabitis, quid de illorum seruis facere potestis? Addiscant nunc reges, & omnes seculi principes, quanti vos estis, quid potestis, & timeant parvipendere iussionem ecclesie vestrae: & in prædicto Henrico tam cito iudicium vestrum exercete, vt omnes sciant,

H
quia

quo modo se
ad hoc legiti-
mauerit.

quia non foruito, sed vestra potestate cadet. Confundatur vitiam ad pœnitentiam, vt spiritus sit saluus in die Domini.

Curia Romana
praxis no-
ua anni 1614.

occasione libri
a Suaresio edi-
ti

§. XLII. Neque posthac curia Romana hanc hypothesein dereliquit, sed quauis occasione propugnauit. Adhuc anno 1614. occasione libri a SVARE-SIO, societatis Iesu theologo editi, cui titulus: *defensio fidei Catholicae & Apostol. contra errores sect. Anglic.* graues mouit fluctus PAVLVS V. contra Parlamentum Gallicanum, quod hunc librum, vt impium condemnauerat, in quo tamen pontificis potestas deponendi reges, & subditos ab omni uinculo absoluedi asserta erat. Fata huius certaminis refert VASSOR in *histor. Ludov. XIII. tom. 1. p. 532. sqq.* Ipse pontifex non erubuit, doctrinam SVARESII defendere, & publice hæc Gallis obiicere: *Autor hic rationem omnino habuit afferendi, me accepisse potestatem excommunicandi supremos principes hæreticos, eosque etiam regno priuandi, quando in peruersis suis opinionibus subsistunt, simulque cogere subditos ad earum receptionem nituntur. Si Iesus Christus non dedisset hanc potestatem Petro, eiusque successoribus, sane non satis conseruationi ecclesie sue prospexisset. Nunquam Deus permittat, vt me eiusmodi præuaricationis reum faciam, & derelinquam propugnationem iuris cathedræ S. Petri competentis, in qua me Deus collocauit vid. VASSOR cit. l. p. 543.* Equidem in comitiis regni vniuersalibus anno eodem, quem designaui, status regni d. 15. dec. hunc articulum contra curiæ Romanæ dogmata proposuerunt, & teste VASSORE cit. *tr. tom. II. p. 74.* sanctione muniendum censuerunt: *que pour arreter le cours de la doctrine pernicieuse,*

contra ausus
parlamenti
Gallicani

ciense, qui se repandoit depuis quelques années contre les Rois & contre les Puissances souveraines établies de Dieu, sa majesté seroit suppliée de faire publier dans l'assemblée des Etats Generaux comme une loi inviolable & fondamentale du Roiaume, que le Roi etant reconnu souverain en France, & ne tenant son autorité, que de Dieu seul, il n'y a sur la terre aucune puissance spirituelle ou temporelle, qui ait droit de le priver de son Royaume, ni de dispenser ou d'absoudre ses sujets, pour quelque cause que ce soit, de la fidelité & de l'obeissance, qu'ils lui doivent. Que tous les Francois generalement tiendront cette loi pour sainte, véritable & conforme à la parole de Dieu, sans nulle distinction, equivoque ou limitatiën. Qu'elle sera jurée par tous les Deputés aux Etats Generaux, & desormais par tous les beneficiers & Magistrats du Roiaume, avant que d'entrer en possession de leurs benefices ou de leurs charges. Que tous les Precepteurs, Regens, Docteurs & Predicateurs seront tenus de la defendre. Que l'opinion contraire, aussi bien, que celle, qui permet de tuer & déposer les Souverains, & de se revolter contre eux pour quelque raison que ce soit, seront declarées fausses, impies, detestables, & contraires à l'establissement de la Monarchie Francoise, qui depend immediatement de Dieu seul. Que tous les livres, qui enseigneront cette mauvaise doctrine, seront regardés comme seditieux & dammables. Que tous les etrangers, qui entreprendront de la soutenir, seront censés ennemis de la couronne. Que tous les sujets du Roi, qui l'embrasseront, de quelque qualité & condition qu'ils puissent estre, seront punis, comme rebelles, infracteurs des Loix fondamentales du Roiaume, & criminels de leze majesté au premier chef. Que si quelqu'etranger ecclesiastique, ou religieux publie un ouvrage, qui contienne des propositions directement, ou indirectement contraires à la Loi reçüe, les ecclesiastiques ou religieux des memes ordres seront tenus de refuser le livre de leur Confrere sans aucun egard & avec toute la bonne foi possible, sous peine d'estre punis comme fauteurs des ennemis

de l'Etat. Enimvero clerus Gallicanus ingentes mox clamores excitauit, ac hunc articulum admittere prorsus noluit, vt IDEM *cit. l. p. 77.* plenius enarrat, & imprimis Cardinalis PERRONII audaciam depingit, quæ concertationes publicæ tandem effecerunt, vt articulus hic suppressus fuerit. Quamuis enim de *libertate* sua admodum gloriantur Galli, certum tamen est, eam semper periculis expositam, imo tantum apparentem esse, quamdiu non audent pontificis dogma de *deponendis regibus excommunicatis* publica sanctione proscribere.

Neque Gibalinus ius deponendi reges negat, quod Iesuitæ affirmant regulariter.

§. XLIII. Quæ cum ita sint, miraberis forsitan GIBALINI modestiam, qui contra sectæ suæ principia in loco §. 38. adducto, mitiora secutus videtur. Iesuitas enim hoc dogma, quod Romana curia strenue hæcenus propugnauit, omnino suum facere & magnopere inculcare, acta publica docent. Aliquot tractatus anno 1612. eo nomine collecti sunt, hoc sub titulo; *Varia tam Facultatis theologicæ, & curiæ Parisiensis, quam aliorum theologorum & iurconsultorum opuscula, decreta & censura, item commonesactiones, & postulata Reginum in Gallia cognitorum, quibus primarium Iesuiticæ fidei caput, de Romani pontificis potestate super omnes reges & principes, eorumque subditos, regna & principatus, euertitur, in quibus immensæ papali auctoritati dicam scribunt autores contra Iesuitarum dogmata; sed vix cum effectu, quamdiu ius excommunicandi eidem indulgent.* Neque vero GIBALINVS tam immemor huius dogmatis suæque familiæ fuit, vt non teste idem approbauerit. Id vnice quippe defendit asseruitque *cit. l. p. 310.* depositionem regum atque abso-
lutionem

lutionem subditorum a vinculo subiectionis non esse annexam ex natura rei censuræ excommunicationis; mox enim addit: *utrum vero eiusmodi priuationis pœna possit annecti excommunicationi ab ecclesiastica potestate, implicatioris operæ est definire.* Hanc quæstionem decidere ausus non fuit, vtut a MARIANI & SVARESI dogmatibus ex ratione familiæ suæ, cui addictus est, haud alienus fuisse videatur. Impium hoc dogmâ, quo pestilentius excogitari non potuit, scil. *de iure deponendi & interficiendi reges principesque, quos clerus tyrannos (i. e. Clero repugnantes) vel hæreticos declaravit,* multis venenosis argumentis persecutus est GVILIELMVS ROSSAEVS *de iusta reipublica christiana in reges impios & hæreticos autoritate,* quem librum contra HENRICVM IV. autor pessimus, quem GENEBRARDVM, Archiepiscopum Aquensem fuisse volunt, conscripsit. Nec clerum Gallicanum ab hac doctrina alienum esse, ad minimum in casu, si rex vel imperans dicatur in hæresin prolapsus, (quod facile imperanti affingi poterit, si curia Romana cum clero ei infesta est, vt exempla illustrium excommunicationum ostendunt) declarant euincuntque argumenta Cardinalis PERRONII, ex sensu cleri Gallicani in comitiis regni anno 1614. prolata, quæ tamen sedulo examinat, & fatis concludenter elidit refutatque VASSOR. *tom. II. cit. tr. p. 29. seqq.*

XLIV. Neque adeo hæsitandum est, cuiuslibet imperanti excommunicato facile imminere periculum amittendi regni, licet afferant, ex excommunicatione hanc iacturam non necessario sequi. Id enim ex duobus euidenter constat, & quidem 1) ex doctrina

Ex doctrina ecclesie Romanæ ostenditur, regulariter excommunicationi coherere ius deponendi reges

communi, quod excommunicatus anno integro in excommunicatione perseuerans &, vt loquuntur, *infordescens*, suspectus dicatur fieri de hæresi, & contra eum, vt talem procedi queat. *c. 7. de hæret. in 6.* Probarunt hanc doctrinam *Tridentini sess. XXV. de reform. c. 3. in f.* disponentes hoc modo: *excommunicatus vero quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta & communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur; sed si obdurato animo censuris annexus in illis per annum INSORDVERIT, etiam contra eum, tanquam suspectum de hæresi, procedi potest.* De hac *infordescencia*, vt loquuntur, agit plenius *RICCVLLVS cit. tr. lib. IV. c. 7. & 8. vbi c. 8. in f.* ostendit, contra *infordescens* processum ab inquisitoribus hæreticæ prauitatis moueri & inquisitorie procedi, vt se purget ab hac suspitione, quod etiam exponit ex mente *inquisitionis LIMBORG in histor. inquis. hæret. prav. lib. III. c. 18.* Fac ergo, imperantem per annum integrum *infordescere* in excommunicatione, i. e. se non humiliter submittere pontifici & absolutionem petere, dicitur fieri *suspectus de hæresi*. Quid si iam a pontifice citeretur, vt se purget ab hac imaginaria hæresi, nec ueniat? Nihil aliud imminet ei, quam iactura regni, quia docent fere omnes, etiam clerus Gallicanus, duce *PERRONIO*, *hereticum* regem posse iuste regno priuari. Est autem hæreticus, qui se post annum non purgat, quia tunc pro confesso & conuicto habetur. Qui autem *infordescit* in excommunicatione, reuera sese opponit excommunicationi papali, adeoque uix probabile est, eum post annum compariturum esse.

maxime si in-
fordescencia
accessit

§. XLV.

§. XLV. Idem quoque 2) colligi potest ex ^{quin etiam} doctrina ab antiquo iam inculcata, ^{contumacem} *excommunicatum*, ^{excommuni-} *qui per annum integrum in excommunicatione inforauit,* ^{catum hoc} *brachio seculari compelli, & in ordinem reduci posse.* In ^{modo cogen-} *concil. Melodunensi de anno 1216. c. 2. apud HARDVIN. tom.* ^{dum esse do-} *VII. concil. p. 85 hoc dogma probatum est: si aliquis* ^{cent} *per annum & diem excommunicationem publicam sustinuerit, compellatur potestas secularis, ut excommunicatum ad unitatem ecclesie per suam potestatem venire compellat, mittendo manum in ipsum & res eius.* Idem confirmatur in Synodo Lambethensi de anno 1261. *ibid. p. 538. sq. Claromontana de anno 1268. c. 6. apud EVNDEM cit. l. p. 609. in conc. Bituricensi de anno 1286. c. 31. apud EVNDEM cit. l. p. 960. seq. Exoniensi de an. 1287. c. 35. ibid. p. 1105. concil. Auenionensi de anno 1326. c. 41. ibid. p. 1508. sq. ubi de magistratu, excommunicatum cogere reculante, hæc additur clausula: Si vero dominus (territorii) bailiuis, sue iudex hæc non curauerit efficaciter adimplere: in ipsum per eandem curiam excommunicationis sententia proferatur, quod nolit humiliter obedire præceptis clericalibus.* Quid si ergo supremus imperans per annum inforduerit in excommunicatione, a quo hic cogendus & compellendus? Deficit superior: ergo non aliud superest curiæ Romanæ remedium, quam, ut absoluat subditos a vinculo subiectionis, eosque hoc modo armet in legitimos suos imperantes, quod licet seditiosum sit, iustum tamen censendum, quod curiæ Romanæ profit. Ceterum qui plenius cognoscere cupit, quæ sit mens saniorum inter catholicos de hoc

hoc funesto dogmate, adire potest SARPIVM in *tr. supra* laudato *tom. I. c. 5. & 9.*

Denique ex-
communicatus infamiam
iuris contra-
bit.

§. XLVI. Plures adhuc quæstiones mouent circa effectus ciuiles interpretes, quas lubens prætereo. Hunc vero effectum (V) omittere non possum, quod *infamia iuris* notetur excommunicatus, quæ insignes per se producit effectus, qui etiam in excommunicatos cadunt. STEPHANVS in *c. 17. C. 6. q. 1.* catalogum eorum, qui *infamia* laborant, contextuit, cui etiam inferuit *omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab ecclesia pulsos.* Equidem GIBALINVS *ci. tr. p. 33.* arbitratur, hanc infamiam tantum esse *canonicam*, non *ciuilem*, nisi inflicta fuerit excommunicatio propter crimen, quod ius ciuile infamia notat. Verum hæc infamia *canonica* eosdem, imo longe grauiores fere effectus producit, quam *ciuilis*, cum quem clerus odit, parui pendet, contemnitque & pro abiectissimo & monstro habendum esse censet, ille omni existimatione & inde dependentium iurium priuetur.

Inde merito
imperatores
& reges in-
spectionem in
excommuni-
cationem sibi
vindicarunt

§. XLVII. Postquam igitur excommunicatio effectus ciuiles accepit, recte olim imperatores suam interposuerunt autoritatem, ne temere ea exerceretur. Liqueat hoc ex *Nov. 123. c. 11.* vbi IVSTINIANVS in hæc edixit verba: *omnibus autem episcopis & presbyteris interdicens, segregare aliquem a sacra communione, antequam causa monstratur, propter quam sanctæ regulæ hoc fieri iubent. Si quis autem præter hoc a sancta communione segregatus est, solutus excommunicatione a maiore sacerdote, sanctam mereatur communionem.* Qui vero aliquem a sancta communione

munionem segregare præsumperit: modis omnibus a sacerdote, sub quo constitutus est, separabitur a communione, quanto tempore ille perspexerit: ut quod iniuste fecit, iuste sustineat. Pariter reges Francorum prohibuerunt, ne excommunicatio passim & sine causa fieret. v. lib. V. capitul. 136. & l. VI. cap. 217. apud BALVZ tom. I. capitul. p. 729. & p. 96. Idem plenius confirmant capitularia CAROLI CALVI c. 56. apud BALVZ. tom. II. capit. p. 36. item de anno 869. c. 10. ibid. p. 233. Quia etiam imperatores postea per occidentem leges de excommunicatione tulisse, fusius docet SELDENVS de Synedr. lib. I. c. 10. p. m. 244. sqq. qui mihi hac in re otium fecit. Id vnicum duntaxat observo, in Anglia neminem facile excommunicari potuisse absque præcitu regis, quod confirmat concilium Clarendonense de anno 1164. c. 7. apud HARDVIN. tom. VI. P. 2. concil. p. 1605. Nullus, qui de rege tenet in capite, nec aliquis dominicorum ministrorum eius excommunicetur, nec alicuius eorum terræ sub interdicto ponantur, nisi prius dominus rex, si in regno fuerit, conveniatur; vel iustitarius eius, si fuerit extra regimen, ut rectum de eo faciat: & ita, ut quod pertinebat ad regis curiam, ibi terminetur; & de eo, quod spectat ad curiam ecclesiasticam, ad eandem mittatur, ut ibi terminetur. Porro in c. 10. si ab archidiacono vel episcopo super aliquo delicto citatus fuerit, unde debeat eis respondere, & ad citationes eorum noluerit satisfacere; bene licet eis sub interdicto ponere eum; sed non debent ipsum excommunicare, priusquam capitalis minister regis villæ illius conveniatur, ut iustitiet eum ad satisfactionem venire. Et si minister regis inde defecerit, erit in misericordia regis; & exinde poterit episco-

*episcopum ipsum accusatum ecclesiastica iustitia coercere. Eundem usum in Gallia & Hispania olim obtinuisse obseruat SELDENVS cit. l. p. 248. qui etiam p. 251. sqq. mores Anglicanos addit. Atque hoc ius antiquum rationi admodum consentaneum erat, quod interesset imperantium, ne subditis per excommunicationem *status civilis* immineretur, aut quid in eum statueretur, vnde possent iura ciuilia singulorum deliquium pati. Horum enim dispositio non ab arbitrio episcoporum, sed a principis decreto pendere debuerunt. Verum per aula Romanæ astutiam atque violentas artes hæc iura legitimis imperantibus interuersa sunt, postquam in conciliis seuerissime cautum est, magistratus seculares nullo modo prohibere aut impedire posse, quo minus magistratus ecclesiasticus excommunicet. In *concil. Tridentino sess. XXV. de reform. c. 3.* expresse dicitur: *nefas sit seculari cuiilibet magistratui prohibere ecclesiastico iudici, ne quem excommunicet; aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet, sub pretextu, quod contenta in præsentis decreto non sint obseruata, cum non ad seculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.**

Praxis protestantium

§. XLVII. Quæ cum ita sint, quilibet sine dubio mecum constituet, *excommunicationem* per se non debere operari *effectus ciuiles*, vt statum civilem subditorum immutare queat. Primitiua sane excommunicatio ab his effectibus libera fuit. Et cum protestantes omnia ad meliorem usum reuocauerint, non facile quoque *effectus ciuiles* admittere, sed vnice priuationem iurium ecclesiasticorum eidem tribuere debent. Enimuero non eadem est *praxis ecclesiarum protestantium*. Docet enim formulaex
laex

la excommunicationis in *ordin. consst. Megapolit.* ¹⁾ ex Mega-
 præscripta, laudata & defensa a FECHTIO *cit. l. §. 12* <sup>politana ordi-
 natione</sup>
 commercium ciuile in eadem quodammodo pro-
 hibitum esse. Est autem huius tenoris: Derohal-
 ben ich, als dieser christlichen Kirchen gemeiner Die-
 ner und Seelsorger, in dem Nahmen unsers Herrn
 Jesu Christi, diesen unbusfertigen offenbahrlichen
 Sünder dem Teuffel jezund übergebe, zum Verder-
 ben des Fleisches, auf daß sein Geist selig werde am
 Tage des Herrn, wenn er sich wiederum bekehren
 wird. Verkündige ihm hiemit Gottes schrecklichen
 Zorn und Ungnade, und, daß er von der Gemein-
 schafft aller Heiligen im Himmel und auf Erden
 ausgeschlossen und abgeschnitten, und mit allen Teu-
 feln in der Hölle verflucht, und ewiglich verdammt
 sey, so lange er in dieser Unbusfertigkeit verharret.
 Versage ihm auch hiemit alle Kirchen-Rechte, und al-
 ler heiligen Sacrament Gemeinschaft, ausgenom-
 men die Anhörung der Predigt. Bitte auch, und
 vermahne alle Christen, daß sie mit diesen Menschen
 forthin nichts zu schaffen haben, und sich seiner Ge-
 meinschaft ganz ent schlagen, nicht mit ihm essen,
 oder trincken, ihn nicht zu Gevatter bitten, zu sei-
 ner Hochzeit oder anderer ehrlicher Gesellschaft la-
 den, auch auf der Straffe oder sonst nicht grüssen,
 damit er beschämhet, oder gedemüthiget werde, und
 seine Sünde desto eher bekenne, und sich zu Gott
 bekehre, und mit der christlichen Kirchen, die er mit
 seinem Ungehorsam zum höchsten beleidiget und ge-
 ärgert hat, versühne. Vides, in hac formula &
 notam quandam infamiae inuri, & *communione ci-
 uilem* prohiberi, quod ad palatum FECHTII est, qui
 1 2
 excom-

excommunicationi hoc *essentialiter* inesse credit, quod oppido fallum est, quamuis legislator civilis tales effectus eidem tribuere queat. Pariter in formula *excommunicationis Vinariensis* relata in *ord. eccl. lib. II. c. 27. p. 490.* suspensio etiam ab officiis publicis ei adiuncta est, vt sequens tenor docet:

2) ex *Vinariensi*

Und dahero soll Er (oder Sie) mitler Zeit der Besserung und Wiederaufföhnung mit der Kirche zu keiner Gebatterschafft ersuchet, vielweniger beyder heiligen Taufe zugelassen, zu keinen Ehren-Amte gebrauchet, oder in christlichen Zusammenkünften (außer der Predigt göttliches Worts, als dadurch der heilige Geist die Herzen der fleissigen Zuhörer zu erleuchten und zu befehren pfelet,) geduldet oder zugelassen werden. *Mitior est Ordin. prouinc. Saxon. Elect.*

3) ex *Electo-
rali Saxonica*

in qua continentur die *General - Articul de anno 1580. art. II. in Codice Augusto P. II. L. I. c. I. pag. 681. sqq.* vbi de effectibus civilibus ita cautum est: Nach Verlesung dieses Sentenz, soll der Custos die fürgestellte Person öffentlich durch das Volk aus der Kirchen führen, und sie ihres Weges ziehen lassen. Als bald solches durch den Pfarrer verrichtet, soll unser Amtmann, Erb- und Gerichts-Herr, wie es ihm von Uns aus dem Synodo jederzeit, von jeder Person insonderheit befohlen wird, der ausgeschlossenen Person alle Hochzeit, und andere ehrliche Gesellschaft, auch alle Wehr verbiethen, und darüber den andern Unfern Unterthanen verkündigen, wo einer oder mehr befunden, so mit derselben wesentlich in den ehrlichen Versammlungen Zechen halten, die sollen nach ihrer Gebühr gestraffet werden, darnach wisse sich männiglich zu richten, doch soll solcher Person

son ihre weltliche Handthierung mit fauffen und verkauffen nicht abgestriekt seyn. Nec minus probandum est, quod contra *abusus excommunicationum* etiam inter protestantes in der Erledigung derer in anno 1653. und 1657. übergebenen Gebrechen *in cod. Augusto P. I. pag. 285.* habetur. Ob wohl zum zwanzigsten in denen Generalien und sonsten gang vorsichtig und christlich geordnet, welchergestalt man mit dem Kirchenbann wieder beharrliche und unbußfertige, ruchlose Sünder verfahren solle, diese Kirchenstraffe auch in Gottes Wort gegründet, so beklaget sich doch unsere getreue Landschafft, wie heutiges Tages grosser Mißbrauch darinnen verspühret worden, indem die Priester meistens aus privat Affecten, und wenn etwan ein Pfarrkind ihnen ihre öftters denen Generalien zuwider erhöhete *re-ditus* und *Accidentien* nicht bald abführet, oder sonsten in *secularibus* nicht nach Willen lebet, zu solcher Strafe greiffen, die Pfarrkinder vom Beichtstuhl stossen, und so lang davon abhalten, bis sie dasjenige, so sie auch wohl unbillig begehren, gewilliget, wodurch sie das, was der grundgütige Gott und Heyland aller Welt aus herzlichster Liebe allen armen und gläubigen Sündern zum Trost eingefezet, gleichsam zu ihren Gerichts-Zwang brauchen, viel Gewissen, so sie trösten solten, aus angemasteter Rachgier betrüben, ja wohl etliche gar in Gefahr ihrer Seeligkeit und Verzweiffelung setzen. Pariter ^{4) ex Magde-} *mitigatus admodum est rigor iuris canonici in ord. ec-* ^{burgica} *cles. Magdeburg. c. 22. §. 25. & 26.* Soll die weltliche Obrigkeit jedes Orts einem solchen Menschen verbieten, alle Hochzeiten, Kindtauffen, und ehrlliche

Gesellschaften zu meiden, und Achtung darauf geben, daß niemand dergestalt einige Gemeinschaft mit ihm habe. Doch soll ihm seine Nahrung zu suchen, zu arbeiten, zu handeln, und bürgerlicher und nachbahrlicher Rechte zu genießen, unverbotten, und er schuldig seyn, seine Dienste, Pflichten und anders zu leisten, auch bey allen Predigten sich einzustellen, und an einem ihme angewiesenen besondern Orth zu stehen.

*illustrantur
dicta ex libris
Symbolicis
A. C. addic-
tionum*

§. XLIX. *Quamuis vero commercium ciuile in officiis liberis excommunicatis etiam denegandum esse censuerint quidam Status A. C. addicti, pro libertate, qua leges ferre possunt; eam exorbitantem efficaciam tamen, quam ius Canonicum ex decreto curiæ Romanæ ei adscripsit, minime iustificari posse censuerunt, præsertim, quod hoc modo pontifex & episcopi de omni statu hominum ciuili per indirectum disponant, atque vniuersum arbitrium circa eum sibi arrogent. Quocirca maiores nostri in August. Confess. iii. 18. merito reprobauerunt, quod pontifices freti potestate clauium violentis excommunicationibus non solum conscientias onerauerint, sed etiam regna mundi transferre & imperatoribus adimere imperium conati fuerint. Hec vitia, addunt, multo ante reprehenderunt in ecclesia homines pii & eruditi. Postea de potestate ecclesiastica disponentes optime monent, eam tantum in docendo & administrando Sacramenta consistere. Non irrumpat, aiunt maiores, in alienum officium: non transferat regna mundi: non abroget leges magistratuum: non tollat legitimam obedientiam: non impediatur iudicia de vllis ciuilibus*

libus ordinationibus aut contractibus: non præscribat leges magistratibus de forma reipublicæ &c. At vero hæc omnia, prout observatum est, fiunt per excommunicationis *ciuiles effectus*, eidem per iniuriam superadditos, quod merito reprobatum est. Post pauca docent, ministros ecclesiæ a communione ecclesiæ impios excludere posse *sine vi humana, sed verbo*. Evidentius vero docuerunt in *articulis Smalcaldicis P. III. art. 9.* maiores, *maiolem illam excommunicationem, quam papa ita nominat, non nisi ciuilem pœnam esse ducimus, non pertinentem ad nos ministros ecclesiæ; & quidem recte, propter effectus ciuiles insignes, quos, relicto vero scopo, assumpsit ex abusu potestatis ecclesiasticæ.* Quocirca etiam *maior*, vbi hodie inter protestantes exercetur, (α) per Consistoria exercetur; quæ sunt *iudicia ecclesiastica*, a principe dependentia, & (β) suam determinationem, suosque effectus ciuiles, si quos habere debeat, a *legislatoris ciuilis* dispositione accipit: quod vtique reipublicæ magis consentaneum est, quia legislatoris & summi imperantis est, statum subditorum definire.

T A N T V M.

NOBI-

NOBILISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

CHRISTIANVS THOMASIVS.

FOecunda fuit semper optimorum ingeniorum mater & nutrix Muldæ flumini adiacens vrbs Cygnea, e cuius filiis præcipue Daunius & Fellerus in suo genere eruditionis eximie inclaruerunt; neque Ferberorum, qui dictæ vrbi natales debent, adeo ignota est familia, quin ex ea doctos pariter, patriæque admodum profucuos viros processisse mihi constet, quibus Patrem Tuum pie defunctum, cuius consuetudine Witebergæ in ædibus B. Ziegleri me aliquando usum esse memini, non immerito accenseo. Cumque etiam Tu editis doctrinæ speciminibus, Te mihi meisque Collegis talem comprobaveris, qualem Te ex hac vrbe & gente oriundum expectavi, mihi temperare non possum, quin Te Doctorem gradum, me Decano, capeffentem sincera gratulatione & voto excipiam, tibi que, vt fauente fortuna, maiorum tuorum sicut in meritis, ita & in adipiscendis honoribus premas vestigia, animitus adprecer. Dabam Halæ Saxonum, d. 19. Iulii 1727.

CLA-

CLARISSIMO DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES

Acutissime obseruauit PAVLVS SARPVS, quem inter testes veritatis retulisti, CLARISSIME CANDIDATE, ut plurimum & fere semper ob transgressionem legum humanarum & posituarum ius gladii spiritualis exerceri, rarissime ob violationem diuinorum mandatorum. Addere potuisset SARPVS, Papam episcoposque in rem suam excommunicando agere, & vel dignitatem suam, vel iura sua humana, vel bona quaestumque hoc fulmine tueri. Ita fiunt iudices in *propria causa*: sunt simul *actores & iudices* intuitu iuris controuersi. ob quod fulmine hoc terrent aduersarios. Nec hoc *παράδοξον* in foro ecclesiastico, quia, ut ait CLERICVS in *epist. critic. p. 156. singulari iure praeter laicis gaudent ecclesiastici, quo simul aduersarii & legitimi iudices esse possunt.* Eodem iure rationi ecclesiasticae haud repugnare censent, si *gladio spirituali* arma carnalia circumponant, eidem effectus civiles tribuendo, nec patiantur, sed detruadi ad casus Apostolorum, qui in spiritu ambulantes armis carnalibus abstinerunt, & solo verbo ecclesias gubernarunt. Tu, CLARISSIME DOMINE CANDIDATE, doctissime hoc mysterium hac Tua dissertatione, qua Tibi aditum ad dignitates Academicas consequendas paras, euoluisti, ac simul hoc specimine publico ostendisti, Te doctrinis solidioribus tinctum ac innutritum. nihilque Tibi deesse, quod ad rem literariam ornandam, ecclesiae purioris scita defendenda facere, & ipsi commodo ciuili inferuire queat. Sicuti vero iam in vita ciuili in eum es collocatus locum, quo patriae prodesse ex officio teneris, ita hoc nouo dignitatis augmento id consecutus es, ut rei communi maiori pondere & autoritate consulere queas. Quod uti Tibi honorificum, & patriae salutare est, ita ratio officii mei postulat, ut eo nomine Tibi publice gratuler, & fausta quæuis successusque secundos in omnibus negotiis Tuis adprecer. Dab. Halæ d. 26. Iul. 1727.

K

Fateor

Fateor, Collega, Affinis, Amice, ab illo tempore, quo, relictis agris nostris, Tibi patriis, Halam tenderes, ad capeffendum illic, quod diu meritus es, eximium, non tamen postremum honoris ornamentum, illam mihi firmissimi propositi rationem fuisse, velim, quasi in specula constitutus, reticere non minus animi gaudium, ac voti debitum, vsque dum reduci Tibi hæc omnia coram explicare possem. Ast necessitudinis, quo iungimur plus vno vinculo, obtinuit tandem, vt, mutato consilio, succinctis his lineis, officii mei partem publice significare mallet, quam, silentio in longius producto, eius rei quidquam omittere. Recipias ergo præliminare hoc gaudii mei documentum de partis nouiter honoribus, hisque perfruerre quam longissime, in Summi Numinis, quæ mortalibus summa lex est, gloriam, in emolumentum patriæ, cui omnia debemus, quin & in Ferberianæ gentis decus, cui hæc, quam illico adipisceris, dignitas Doctoralis domestica plane est, quorum antecessorum numerum, Affinis colende, adaucturus, non minus, ac illi dudum, vt confido, de eo, quod publice interest mereberis. Plura addam voti mei capita, quamprimum exoptata tulerit occasio, Te, post reditum ad Lares, quem felicissimum vtique precor, & quidem addito insigni Doctoris encomio salutandi. Lætatur mecum de quæsitis denuo vnici filii, qui simul ex merito dilectissimus est, honoribus mirifice, nec minori animi contentione TE protinus expectat reducem Parens Optima, quam Tibi & mihi, meoque ex vnica, diu iam desideratissima, vnico, diuissime superstitem voueo. Vale, & vltiori me amore, vt hætenus consueuisti, persequere. Deproperabam Cygnæ, Ipsis Nonis Quinctilis, A. O. R. clo lcccxxvii.

IOANNES CHRISTOPHORVS VOGEL, D.




ULB Halle
003 902.96X


3



82








B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



17

1727, 56

6

INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
TATV
OMMUNI-
TORVM
CIVILI
EX
ROTESTANTIVM
QVAM
CVLTATIS IVRIDICAE
IA FRIDERICIANA
PRAESIDE
ENNING. BÖHNERO
ICro
SIAE REGIS CONSILIARIO INTIMO
DRE IVRIS ORDINARIO
LICENTIA
QVE IVRE CAPESSENDI HONORES
ILEGIA DOCTORALIA
XXXI. IVL. MDCCXXVII.
H. L. Q. C.
TORVM EXAMINI SVBMITTIT
G ANDREAS FERBER
GNEA-MISNICVS
SAX. ET SENATOR CYGNENSIS
MAGDEBVRGICAE
ST. GRVNERTI, Academ. Typogr. (to)

1784

1784